Ries, Henricus
De Terentiani
Mauri aetate

DE TERENTIANI MAVRI AETATE

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AVCTORITATE ET CONSENSV AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM IN ACADEMIA PHILIPPINA MARPVRGENSI ORDINIS AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

HENRICVS RIES
CASSELLANVS

MARPVRGI CATTORVM A. MCMXII
TYPIS ROBERTI NOSKE BORNENSIS

Dissertatio referente Theodoro Birt ab amplissimo philosophorum ordine adprobata die XXVI mensis Januarii a. MCMXII.

PARENTIBVS OPTIMIS

S.

Non ero stulte repugnans aut amans prave mea,
quin statim culpanda delens praebeam rectis locum.
Terentianus Maurus v. 325.

In omnibus litterarum historiis Romanarum hodiernis [1]) Terentianum, rei metricae versificatorem, saeculo p. Chr. n. secundo fuisse atque hac aetate libros suos *De litteris syllabis et metris Horatii* [2]) composuisse scriptum legimus. Quae opinio orta est et stabilita maxime commentationibus, quas scripserunt Gerhardus Schultz in Hermae vol. XXII (1887) p. 275 sqq. atque Alfredus Werth in Fleckeis. annal. suppl. XXIII (1897) p. 121 sqq. „De Terentiani sermone et aetate" et in libello „De Terentiani metris et elocutione" a. 1897 Mülheimii edito, cum antea sententia Caroli Lachmann, qui Terentianum saeculo p. Chr. n. tertio attribuit, viguerit. Sed opinio hodie recepta non omnibus viris doctis, qui huic rei investigandae operam dederunt, arrisit. Etiam hodie sunt, qui sententiam a Lachmanno, viro sagacissimo, prolatam defendant. Quo in numero est Theodorus Birt, cui Terentianum saeculo p. Chr. n. tertio fuisse persuasum est; qui in libro magna cum doctrina et subtilitate composito „Der Hiat bei Plautus und die lateinische Aspiration bis zum X. Jhd. n. Chr." Marbg. (1901) p. 97, postquam scriptorem *h* litteram consonantis loco usurpasse demonstravit, haec verba de Terentiani aetate facit: „Man ist neuerdings geneigt, Terentianus dem 2. Jhd. zuzusprechen; dieser Ansatz wäre mir nicht unwillkommen, leidet aber die

---

[1]) W. S. Teuffel, Gesch. der röm. Lit. 1890^5 § 373 a p. 945. O. Ribbeck, Gesch. der röm. Dichtung. 1892 III p. 323 sq. M. Schanz, Gesch. der röm. Lit. VIII, 3 (1905^2) p. 25 sq.

[2]) De operis partitione conferendus est Theod. Birt, das antike Buchwesen, Berl. 1882 p. 381.

schwersten Bedenken, und allerlei Argumente zwingen mich für ihn vielmehr am 3. Jhd. festzuhalten". His verbis „und allerlei Argumente" Birtius non magis ad litteram h respexit, de qua verba feci, quam ad alia, de quibus tunc fusius disputare ei non contigit.

Cum igitur quaestio de saeculo, cui Terentianus adscribendus sit, nondum soluta esse videatur, Theodoro Birt suadente et adiuvante eam retractare atque inquirere suscepi, quatenus in Terentiani libris ipsis argumenta exstent, quibus quo saeculo scriptor vixerit demonstretur. Neque sine fructu eos me pervestigavisse sentio. Qua pervestigatione quae invenerim, nonnullis postea explicanda sunt. Rem me ita absolvisse puto, ut absit dubitatio. Revera enim argumenta in Terentiani libris inveniuntur, quae cui saeculo scriptor attribuendus sit plane indicant.

Sed priusquam ad meum propositum transgrediar, paucis mihi videntur perstringendae esse virorum doctorum sententiae, quae usque ad hunc diem prolatae sunt.[1])

Caput I.

Virorum doctorum sententiae adhuc prolatae.

De Terentiani aetate satis certum testimonium nobis traditum non est neque quicquam de eius vita nos scire fatendum est. Primum igitur si quaeris quem nullo modo possit egressa esse aetas Terentiani terminum, eum ante Marium Victorinum, Diomedem, Augustinum[2]) vixisse ex eo apparet, quod hi grammatici in operibus suis Terentiani nominatim mentionem fecerint. Praeterea Terentianum post annum CL libros suos scripsisse necesse est, cum Annianum, Gellii aequalem,[3]) citet. Utrum autem saeculo altero an tertio scriptor ipse fuerit, res

---

[1]) Confer etiam de hac re Alfr. Werth, De Terentiani sermone et aetate. Fleckeis. annal. suppl. XXIII pag. 295 sqq.

[2]) Cf. H. Keil, Gr. Lat. vol. VI p. 323.

[3]) Cf. Gell. l. XX, 8: *Annianus poeta in fundo suo, quem in agro Falisco possidebat, agitare erat solitus vindemiam hilare atque amoeniter. Ad eos dies me et quosdam item alios familiares vocavit.*

adhuc est dubia. Nec mirum est, quod inter se discrepabant sententiae virorum doctorum.

Varias de Terentiani temporibus opiniones vetustiorum Santen in editione Terentiani Traiecti ad Rhenum a. 1825 curata praef. p. III sqq. composuit. Fuerunt olim qui Terentianum exeunte primo et currente secundo saeculo fuisse contenderent; fuerunt qui censerent eum „ea tempestate floruisse, qua Latinae litterae in Africam migravissent, i. e. Apulei, Tertulliani, Cypriani, Septimii, aliorum temporibus“;[1]) fuerunt qui non multo post Senecam philosophum eum fuisse putarent. Omnes hi viri docti argumentis futtilibus sententiam suam commendabant.

Contra primus Carolus Lachmann, vir maximo ingenii acumine, diligentiorem quaestionem instituit eamque ad eum finem perduxit in Terentiani editione a. 1836 emissa, ut Terentianum sub finem saeculi p. Chr. n. tertii fuisse censeret. Quod iudicium antequam sub examen vocetur, intersit Lachmanni argumentationem plenius referre. Scripsit vir doctus in praef. p. XI sq. sic: „Aetatem autem Terentiani dico finem saeculi post Christum natum tertii. nam quod eum multi Domitiano imperante vixisse existimarunt, nimis crassus error est, argumentis confirmatus, ut Niebuhrius recte censet (Kleine Schriften I, p. 347), futilibus. Ruhnkenius certe, cum de Terentiani aetate scriberet ad Mallium Theodorum p. 21, quali genere scribendi hic poeta grammaticus usus esset, tum non videtur recordatus esse: adeo et vocabulis et particularum usu et ipsa verborum collocatione ab illis felicioris aetatis poetis recedit. praeterea versu 2136 Annaeum Senecam et Pomponium Secundum tragicos *antiquos* dicit, Pomponio autem versu 1974 sui temporis *minores* opponit. Petronii carmina tum vulgo cani solita esse dicit v. 2492; ita tamen ut huius versiculum medium ponat inter antiquissimum Naevii et *novelli* poetae carmen, v. 2528—2534; itaque si verum est, quod mihi certe Niebuhrius persuasit, Petronium medio saeculo tertio scripsisse, vix dubitari potest, quin et Terentianus et illi novi poetae circa finem eiusdem saeculi vixerint.“

Una ex parte Lachmanni argumentatio labefactatur. Nam

---

[1]) Cf. Santen, praef. p. V.

quod omnes concedunt, in eo manifesto ille erravit, quod Petronii mentione usus est, ut Terentianum saeculo p. Chr. n. tertio fuisse demonstraret. Quod argumentum nullum est, cum Petronium medio potius saeculo primo scripsisse inter viros doctos satis constet.[1]) Tamen, etiamsi hoc argumentum evanuit, cetera, quae Lachmannus attulit, magnam vim habent atque multis viris Terentianum saeculo tertio adscribendum esse persuaserunt.

Lachmanno assensus est Hermannus Wentzel in dissertatione quae inscribitur „Symbolae criticae ad historiam rei metricae Latinorum" Vratislaviae a. 1858 p. 26. Cui viro docto quae Lachmann disputavit, quo diutius acriusve perscruteris, eo admirabilius dicta videntur. Nova autem argumenta ad sententiam confirmandam non affert.

Etiam Henricus Keil Lachmannum secutus est, cum haec protulerit Gr. Lat. vol. VI (1874) p. 323: „Sed tametsi Petronii quidem aetatem ab his temporibus longe remotam esse satis exploratum est, non minus certum esse puto Terentianum saeculo tertio non fuisse superiorem. nam ut novelli poetae, quorum saepius mentionem fecit, ad hoc tempus iure referuntur, ita neque genus dicendi quo ipse usus est antiquiorem aetatem admittit, et varietas metrorum quae adhibuit tum maxime probata fuit." Qua in re nullam vim habet, quod Keil de poetis novellis dicit; nam id Gerhardus Schultz[2]) sine dubio demonstravit fuisse altero p. Chr. n. saeculo poetas, quos Terentianus *novellos* nominat.

Porro eandem sententiam invenimus apud Luc. Müller „De re metrica poetarum Latinorum" a. 1894² p. 39. Qui nova subsidia ad Terentiani tempus definiendum ita parare studuit, ut rem metricam investigaret. In universum iudicat p. 94 sic: „Congruus autem varietati ei metrorum, quae Frontonianorum ab aetate usque ad ultima tempora optinuit, reperitur liber Terentiani. Quem quod Lachmannus Diocletiani dixit aequalem id omnes probabilitatis habet numeros".

---

[1]) Cf. W. S. Teuffel, Gesch. der röm. Lit. II (1910⁶) § 305, p. 274 sqq. Th. Birt, Zur Kulturgeschichte Roms, a. 1911² p. 146.

[2]) Herm. vol. XXII (a. 1887) p. 274 sqq.

G. Studer Lachmanni sententiam primus in dubitationem vocavit in disputatiuncula „Über das Zeitalter des Petronius Arbiter“ Mus. Rhen. vol. II (1843) p. 65 sqq. inserta, qui duo argumenta a Lachmanno prolata impugnat. Primum optimo iure refutat, quod vir doctus ex v. 2489 sq.[1]), ubi scriptor Petronii mentionem fecit, Terentianum sub finem saeculi tertii scripsisse concludit. Deinde dubitat, nominaveritne Terentianus in v. 2135 sq.[2]) Annaeum Senecam et Pomponium Secundum tragicos *antiquos*. Ex toto contextu verborum[3]) viro docto apparere videtur non Pomponio, sed priscis poetis Graiisque, quo in numero Pomponius non esset, poetas minores oppositos esse. Neque vero ille argumenta, quibus aliquid demonstretur, proposuit. Quo saeculo Terentianus fuerit, in medio relinquit his verbis p. 66: „Es scheint demnach noch immer nicht genügend er-

---

[1]) v. 2489 sq.
at Arbiter disertus
libris suis frequentat (scil. *dimetros iambicos*).

[2]) v. 2135 sq.
in tragicis iunxere choris hunc saepe diserti
Annaeus Seneca et Pomponius ante Secundus.

[3]) v. 1957 sqq.
Cum vero heptameres fuerit divisio versus,
in tragicis plerumque choris deprenditur unus
insertus multis non una lege creatis.
fabula sic Euripidis inclita monstrat Orestes:
nam tali versu cunctis trepidantibus intus
Argivum fugiens eunuchus flagitat ensem;
cetera non simili componit lege, sed aptos
continue trepido plures conectit iambos.
inserit haec aeque Pomponius in choricis sic,
'*Rhoeteis procul a terris*', *mox dispare versu*
subiecto, '*Priamique aras damnare pias*': *tunc*
'*obrue nos Danaosque simul*' *parilem dedit illi.*
non equidem possunt tot priscos nosse poetas,
ut veterum exemplis valeam quae tracto probare:
Maurus item quantos potui cognoscere Graios?
quorum praecipue studiis ars musica constat.
nemo tamen culpet, si sumo exempla novella:
nam et melius nostri servarunt metra minores.
Septimius, docuit quo ruris opuscula libro.

wiesen, daß Terentianus einer so späten Zeit angehöre, wiewohl man zugeben muß, daß auch die entgegengesetzte Ansicht in ihrer Beweisführung noch Vieles zu wünschen übrig läßt".

Post Studerum Gerhardus Schultz in Hermae vol. XXII (1887) p. 275 sqq. Lachmanni opinioni obstitit atque nonnullis argumentis allatis Terentianum saeculo p. Chr. n. secundo attribuendum esse sibi persuasit. Sed quamquam, quaecumque protulit ille vir doctus, primo obtutu ab omni dubitatione vacua videri facile concedo, tamen, si accuratius perquisiveris, eum causis non firmis usum esse intelleges. Scilicet iam Alfredus Werth, cum de Schultzii sententia referret, eum interdum argumentis incertis niti recte monuit.[1]) Id sane vir doctus sine dubio ostendit poetas novellos saeculo p. Chr. n. altero fuisse, quamquam in eis, quae exposuit, bis erravit. Putat enim *novellus* quod apud Terentianum legimus (v. 1919 sq. v. 2240. v. 2528 sq.), artis vocabulum esse et poetas *novellos* esse eos, qui apud Diomedem (Gr. Lat. I 514, 23. 516, 24. 517, 3) *neoterici* nominarentur. Quod falsum est. *Neotericus* non eandem significationem habet ac *novellus.* Nam inter scriptores *neotericos* a Diomede habentur poetae saeculi p. Chr. n. primi, poetae quidam quos non novimus, tres solutae orationis scriptores. Praeterea *neotericus* non est artis vocabulum, sed significat quod nos hodie dicimus „nachklassisch, modern", vel si vituperationem inesse volumus „epigonenhaft".[2]) Deinde Schultz non recte affert Gellii locum XIIII 27, 3: *Sed illi Homerico* (scil. *versui*) *non sane re parem neque similem fecit: esse enim videtur Homeri simplicior et sincerior, Vergilii autem νεωτερικώτερος et quodam quasi ferrumine fucatior* et auctioris Servii ad Aen. VIII 731 adnotationem e Probo sumptam: *hunc versum notant critici quasi superfluo* (?) *et humiliter additum nec convenienter gravitati eius, namque est magis neotericus.* Quibus locis pro testibus usus vir doctus censet inde ab anno L. p. Chr. n. usque ad annum CL fuisse sectam poetarum, quorum capita fuissent Annianus et Serenus et qui a studio *novandi* poetae *neoterici* vel *novelli*

---

[1]) De Ter. sermone et aetate p. 297 sqq.

[2]) Qua de re confer Joh. Kurt Wagner, Quaestiones neotericae imprimis ad Ausonium pertinentes, Lipsiae a. 1907 p. 7 sq.

nominati essent. At vero nullam vim habent illi Gellii et Servii loci, quod recte observatum est a Friederico Leo in Herm. vol. XXIV (a. 1889) p. 294 adn. 2: „Die Stellen aus Probus zu Vergil und Gellius beweisen freilich nichts, sie betreffen die *νεώτεροι* der Homerkritik, und so wird es zweifelhaft, ob Pomponius, Seneca und Petron zu den Neoterici gehören".[1])

Tres autem sunt causae, quibus commotus Schultz Terentianum saeculo altero scripsisse censet. Atque primum poetarum novellorum, quos saeculo secundo optimo iure attribuit, aequalem Terentianum fuisse contendit propterea quia apud hunc legimus in v. 1891:

Dulcia Septimius qui scripsit opuscula nuper.

Schultz enim putat adverbium *nuper* a Terentiano hoc loco volgari sensu positum esse et significare „vor kurzem, neulich", id est „nonnullis diebus vel mensibus vel annis ante". Dummodo igitur *nuper* adverbium, in cuius significatione cardo quasi rei vertitur, nihil aliud nisi „vor kurzem" intellegi posse sumatur, quaestio iam profligata est et concedendum Terentianum Septimii Sereni aequalem i. e. saeculo p. Chr. n. secundo fuisse. Sed illud ipsum dubitationi valde obnoxium est, quod neminem animadvertisse miror. *Nuper* enim non solum illo usitatiore sensu, sed etiam de longiore tempore quod antecessit dictum legitur. Itaque explorandum est, quo modo adverbium hoc loco sit interpretandum. Quod diiudicari non potest nisi si aliis argumentis allatis qua aetate Terentianus fuerit declaratur. Postea videbimus causas, quibus Schultz Terentianum saeculo secundo attribuendum esse commendabat, parum certas esse; quin etiam argumenta ego me invenisse confido, quae non nisi saeculo tertio Terentianum florere potuisse indicant. Sequitur ut Terentianum in v. 1891 adverbio *nuper* latiore sensu illo qui est „vor Zeiten" usum esse statuamus. Neque quidquam obest sic statuenti. Nam non ita raro haec significatio exstat. Quod ut perspicuum fiat, conferantur loci hi. Cic., de div. I, 86: *Quod iam facis in divinatione, quam ut cernimus ipsi et audimus et legimus et a patribus accepimus. Neque ante philosophiam patefactam, quae nuper*

---

[1]) Cf. etiam K. Wagner, l. l. p. 8 adn. 1.

inventa est, hac de re communis vita dubitavit, et posteaquam philosophia processit, nemo aliter philosophus sensit, in quo modo esset auctoritas. Cic. de nat. deor. II, 126: *Iam vero illa etiam notiora, quanto se opere custodiant bestiae, ut in pastu circumspectant, ut in cubilibus delitiscant. Atque illa mirabilia, quod ea quae nuper id est paucis ante saeculis medicorum ingeniis reperta sunt.* Liv. praef. § 12: *nuper divitiae avaritiam et abundantes voluptates desiderium per luxum atque libidinem pereundi perdendique omnia invexere;* ubi memorabile videtur, quod Livius *nuper* adhibuit, ut spatium centum fere annorum significaret. Id enim elucet ex lib. XXXIX, 6, 7 *luxuriae enim peregrinae origo ab exercitu Asiatico invecta in urbem est.* Maxime autem memoratu dignum videtur quod legimus apud Lactantium, saeculi quarti ineuntis scriptorem, div. inst. I, 2 (vol. XIX 74, 24 in C. S. E. L. ed. Brandt): *Diximus de diis ipsis qui coluntur: nunc de sacris ac mysteriis eorum pauca dicenda sunt. aput Cyprios humanam hostiam Iovi Teucrus immolavit idque sacrificium posteris tradidit; quod est nuper Hadriano imperante sublatum.* Eodem porro rettulerim Claudiani locum, ad quem Theodorus Birt me remisit. Legimus enim in Eutrop. lib. II v. 248 sqq.

Nuper ab Oceano Gallorum exercitus ingens
Illis ante vagus tandem regionibus haesit
Gaesaque deposuit, Graio iam mitis amictu,
Pro Rheno poturus Halyn.

Hoc loco *nuper* de longissimo spatio positum est a Claudiano; nam Galli incursiones, de quibus scriptor, qui librum secundum in Eutropium anno 399 p. Chr. n. composuit, disserit, saeculo a. Chr. n. tertio fecerunt.

Quibus locis collatis nil habet miri, quod Terentianus quoque l. l. *nuper* latiore hoc sensu posuit. Id certe in aperto est hoc adverbium, si solum adfertur, nihil valere ad Terentiani aetatem definiendam.

Etiam alterum argumentum, quod Schultz profert, nullius momenti est. Vir doctus enim haec fere exposuit: Henricum Keil[1]) ostendisse Aphthonium a Mario Victorino expilatum esse et Aphthonium descripsisse Terentianum Maurum. Cum autem

---

[1]) Gr. Lat. vol. VI p. XIV sq.

Marius Victorinus opus suum ante annum 350 scripsisset, statuendum esse intra quinquaginta annos et Aphthonium Terentiano et Marium Victorinum Aphthonio usum esse. Quod verisimile non esse, praesertim cum grammatici saeculi p. Chr. n. quarti scriptorum saeculi primi et secundi opera exscribere consuessent. His perpensis maius temporis spatium intercedere probabile esse. Sed non ita certa est haec suspicio, ut dubitatio exclusa sit; neque enim plus quam quinquaginta annos intercedere omnino necesse fuit.

Porro Schultz Terentianum non post Iubam scripsisse contendit propterea quia Iubae, quem sub finem saeculi secundi fuisse cum Luciano Mueller[1]) censet, nullo verbo usquam mentionem fecisset. Iuba enim, qui Annianum et Serenum poetas fortasse cognovit,[2]) *insistens Heliodori vestigiis* (Mar. Vict. Gr. Lat. VI p. 94, 7) posteriorem quae vocatur artem metricam, qua omnia metra ex paucis prototypis derivabantur, ad Romanos transtulit.[3]) Terentianus autem hanc scholam non memorat, qua ex re vir doctus concludit eum non post Iubam i. e. non post saeculum alterum libros suos conscripsisse. Sed praepropere id contendit; neque enim Iubam saeculo secundo fuisse certum est. Constat solum Annianum, Gellii aequalem, Iubae notum fuisse.[4]) Neque enim viri docti defuerunt, qui Iubam saeculo p. Chr. n. tertio adscribendum esse statuerint; quo in numero sunt H. Wentzel[5]) et O. Hense,[6]) qui Iubae aetati definiendae maxime operam dederunt. Quae si quis perpenderit, id certe concedet certum ne hoc quidem esse argumentum.

Quibus omnibus consideratis Schultzii argumenta nimis incerta esse fatendum est neque nos cogunt, ut Terentianum saeculo altero scripsisse concludamus.

Neque Alfredum Werth id praeteriit, qui omnibus quae

---

[1]) Mus. Rhen. vol. XXV p. 342.

[2]) Conf. H. Keil, Gr. Lat. VI p. 583. 618.

[3]) Cf. Fr. Leo, Herm. vol. XIV (a. 1889) p. 280 sqq.

[4]) Conf. L. Mueller, Rutil. Namatianus. Lipsiae a. 1870 p. 40.

[5]) Symbolae criticae. Vratislaviae a. 1858 p. 17.

[6]) De Iuba artigrapho (in Act. societ. philol. Lips. tom. IV a. 1875) p. 161.

Schultz exposuit neglectis alio usus est indicio, quo accuratius Terentiani aetatem definiret. Nihilo minus eandem de Terentiani aetate opinionem apud eum invenimus, quam exposuit in dissertatione quae inscribitur „De Terentiani sermone et aetate" Fleckeis. annal. suppl. XXII (a. 1897) p. 291 sqq. inserta et in libello „De Terentiani metris et elocutione" Mülh. a. 1897. In dissertatione de scriptoris re grammatica et vocabulis ab eo adhibitis quaerit Werthius, singula verborum genera perlustrat, indices diligenter componit. Quae ad probandam sententiam eorum, qui Terentianum saeculo p. Chr. n. secundo adscribunt, afferri poterant, omnia comprehendit. Summa autem totius disputationis est haec p. 376: „Terentianus igitur, licet pauca vocabula aut solus aut primus praebeat, licet plura inusitato in significatu adhibeat, licet insolenter verba construat, licet verborum collocatione notabilis sit, tamen quibus licentiis Tertullianus Frontonem Gellium Apuleium superat, non utitur. Ut Tertullianus cum in aliis rebus, tum in praepositionum usu multa praeter ea quae supra passim commemoravi praebet, quorum apud Terentianum nec vola nec vestigium apparet. Itaque non paucis annis ante Tertullianum fuisse videtur . . . . Ergo ut certam aetatem nominemus, qua Terentianum fuisse probabile sit, librum secundum, in quo illa verba leguntur, sub finem Marci Aurelii Philosophi, tertium initio imperii eiusdem Terentianum scripsisse, natum esse sub Hadriano imperatore statuamus."

Quae Werthii verba probare minime possum; nam in multa inquirens omisit id quod summum est. Diligenter quidem verba, quibus Terentianus usus est, ab eo collecta sunt, sed non recte vir doctus demonstravit quae ex his collectaneis concludenda sint.

Quod enim magnus verborum, quibus Terentianus utitur, numerus iam apud scriptores saeculi p. Chr. n. secundi legitur, eo argumento Werth usus est, ut Terentianum ipsum hoc saeculo vixisse atque libros suos composuisse ostendat. Sed ea verba apud Terentianum obvia, quae non nisi inferioris latinitatis i. e. saeculi tertii vel quarti propria sunt, aequa cura perpendi debebant, quae vir doctus afferre satis habet et ex cottidiano

sermone fluxisse vel metrorum necessitate a Terentiano posita esse contendit.[1]) Quod concedere nequeo. Neque satis est ea ponderare, quae Terentianus cum scriptoribus saeculi secundi communia habet, quippe qui etiam tot vocabula praebeat, quae solum apud scriptores saeculi tertii vel quarti leguntur. Immo his ipsis verbis mea quidem sententia, quo saeculo scriptor fuerit, revera demonstratur, si omnino sermo aliquid de scriptoris aetate docet. Nam quo modo vel qua via haec inferioris latinitatis propria in Terentiani opus irrepsisse explicabimus, si scriptor saeculo secundo attribuitur? Illud vero mirum non est, quod scriptor tertii saeculi multis in rebus cum scriptoribus, qui saeculo secundo scripserunt atque in litteris floruerunt, conspirat. Verum est enim Terentianum verba habere,[2]) quae inveniuntur apud scriptores saeculi secundi. Itaque ea ab his recepit. Illud certe numquam concedam Terentianum tot verba, quae praeter eum non nisi apud scriptores posterioris aetatis exstant, primum invenisse neque ex usu sui temporis recepisse, quamquam nonnulla vocabula sane eum solum adhibuisse constat.[3])

Quae cum ita sint, Werthii iudicio assentiri non possum, sed Terentianus eo aevo opus suum scripsisse statuendus est, quo haec vocabula in usu erant.

In altero libello Werth operam dat, ut Terentianum saeculo secundo fuisse observato usu metrorum et elocutione demonstret. Ubi in priore parte agit de metris, quae Terentianus adhibuit, postquam scriptorem omnino artificiose metris usum esse exposuit. Sequitur pars, qua de rebus prosodiacis disserit. In quibus non pauca sunt, quae praeter Terentianum non nisi apud scriptores posterioris aetatis inveniuntur; sed ea vir doctus componere satis habet finemque facit hac dubia sententia p. 27: „Iam si quaerimus, num quid Terentiani ars metrica ad circumscribendam aetatem valeat, neque metrorum artem neque

---

[1]) Conf. De Ter. serm. et aet. p. 304 sq.

[2]) Confer indices a Werthio compositos l. c. p. 307 sqq.

[3]) Haec verba apud solum Terentianum inveniuntur: *congregalis* v. 1317. *disserare* v. 98. *dissonorus* v. 190. *docimen* v. 1932. *fulgidulus* v. 225. *inretusus* v. 307 (coni. Santen). *limula* v. 284. *perscriptio* v. 340. *trilongus* v. 1401. Confer etiam Werth, De Ter. serm. et aet. p. 318.

syllabarum mensuras eas esse, ut post M. Aurelium imperatorem Terentianus libros composuisse censendus sit, ex his collectaneis apparere puto. Quae sententia ne O quidem vocalis correptione neque mensuris *huīc* aut *cuī*, licet Müller „ultimis temporibus" ita voces distractas esse contendat, infringitur. Tamen ut certum tempus e metris enuclearetur, ante quod Terentianum floruisse putandum esset, neque contigit neque puto continget, quoniam etiam post carmina maxime incondita alia rursus ad optimorum poetarum leges expolita sunt. Neque enim aetate longius distant Sammonicus et Commodianus, at quam diversa sunt metra."

Paene absurda mihi videntur esse quae Werth in altera huius commentationis parte de elocutione profert. Collegit enim sermonis vitia Terentiani et insolenter atque interdum inaudita licentia vocabula ab eo collocata esse concedit. Sed id posterioris aetatis indicium esse non putat nec nisi Terentianum hoc vitio aequales i. e. scriptores saeculi secundi superare dicit. Perversa qua Terentianus utitur collocatio particularum, pronominum, adverbiorum indicare ei videtur scriptorem saeculo altero scripsisse, etiamsi ipse Arnobium, qui easdem interdum collocationes verborum habet, saepe in comparationem vocat. Denique in fine libelli Werthius in eo est, ut nonnullas sermonis proprietates enumeret, quas solus exhibet Terentianus.

Quibus omnibus perpensis viros doctos post Lachmannum idoneis argumentis sententiam confirmavisse nego. Itaque ad rem accedamus sitque hoc meum officium, ut si fieri potest firma tandem atque valida argumenta proponam.

Caput II.

Terentianus litteram h consonantis loco adhibuit.

Videamus nunc in Terentiani libris quaenam insint temporum indicia. Atque primum de *h* littera nobis verba facienda sunt. Inveniuntur enim in exemplari editionis primae nonnulli versus, in quibus scriptor breves in consonantem exeuntes syllabas, quas sequitur *h*, produxit. Inspicias velim hos versus:

128 *Unam quoniam sat | habitum est notare forma.*
658 *quamquam ἴτυν dicunt Achaei, hanc vitym gens Aeoli.*[1])
738 *quia sequor easdem | habebat, unde nomen nascitur,*
793 *huius an | huic solemus nam frequenter dicere:*
1589 *metus | habebat aut propinqua adoria.*

Terentianum his in versibus ante *h* litteram syllabas breves in consonantem exeuntes positionis lege produxisse statuimus. At vero editores, cum scriptorem consonantis loco *h* litteram usurpavisse negarent, tradita verba mutaverunt et coniecturas protulerunt. In versu 128, ut exemplum afferam, Santen scripsit *satis habitum* pro *sat habitum*, Lachmann *fas* pro *sat* coniecit, Werth (De Ter. serm. et aet. p. 370), quia *fas* sic non usurparetur, *ius* pro *fas* proposuit. Sed propria et vera sententia enuntiati coniecturis pessum datur, nam *sat*, quod in editione Mediolanensi legimus, ad rem aptissimum est atque optimum sensum praebet.[2]) Qua de causa pro recto habemus, quod traditum est, neque virorum doctorum coniecturis opus est, cum posteriores, qui Terentiani libros lectitaverint, hos quinque versus pessum dedisse non putemus, quod factum esse dicit Werth (de Ter. metr. et eloc. p. 26). Sane scriptor huic licentiae contraria docet in versibus 789 sqq.

Sola nec vocalis usum nec tuetur consonae,
tempus aut ministrat ullum brevibus usquam syllabis;
et tamen vim consonantis adimit, una in syllaba
praedita est quotiens duabus U et I vocalibus.

---

1) Conferas quae Th. Birt, Der Hiat bei Plautus p. 97 sq. docet: „Auch dieser Beleg hat volle Bedeutung; denn Terentianus duldet weder in der Cäsur des Septenars noch in der des Senars offenen Vokalzusammenstoß mit Ausnahme des v. 410, wo griechische Vokale zusammenstehen, und v. 617, wo die Vokale selbst Gegenstand der Besprechung sind: Est adhuc quo separatae | I et U dissentiunt; ebenso v. 731."

2) Conf. Th. Birt, Der Hiat bei Plautus p. 97: „sat habitum ist das einzig Sinngemäße; der Verfasser sagt, daß das Lateinische kein Eta und Omega schreibe, weil es als „genügend" erachtet worden ist, ein einziges Zeichen zur Schrift zu verwenden, welches doppelten Dienst thue (v. 129 quae pro temporibus geminum usum ministret). Also ist sat hier positionslang."

Qua tamen re non impedimur, quominus Terentianum ipsum *h* litteram pro consonante usurpavisse contendamus. Saepe enim factum est, ut scriptores leges conscripserint, quas ipsi postea inconsulto violaverunt. Praeterea Terentianus alio loco operis in medio relinquit, utrum *h* sit littera an nota aspirationis. Verba autem sunt haec in v. 212 sq.

nulli dubium est faucibus emicet quod ipsis
H littera, sive est nota, quae spiret anhelum.

Quae cum ita se habeant, *h* vim consonantis apud Terentianum habere statuendum est. Qui usus posterioris aetatis indicium est. Neque enim apud ullum saeculi p. Chr. n. secundi scriptorem idem est observatum. Christiani autem poetae[1]) et scriptores saeculi quarti *h* consonantis vice saepe adhibuerunt. Sic legimus hos versus:

Juvenc. I 301:
Sedibus et domibus natum in | habitare necesse est.

Paulin. Nol. IX 41:
Moenibus aeternis Hierusalem | habitabit.

Auson. XVI 9, 9:
Tertius | horum mihi non magister (Sapph.).

Sedul. c. pasch. III 296:
Vir | humilis maesto deiectus lumina vultu.

Sedul. hymn. II 29:
Hostis Herodes impie (dim. iamb.)

Orient. comm. I, 192:
Mutua constringet cura hominis | hominem.

Cyprian. Gall. Exod. 362:
Traditur et nullum putatur | hinc fore damnum.

Cyprian. Gall. Exod. 540:
Donec | hic populus tibi redemptus.

Hilar. de martyr. Maccab. 277:
Ducit | heu curas et iam spes ac timor una.

Maximian. IV 57:
Si quis | has possit naturae attingere partes.

---

[1]) Conf. W. Christ, Metrik der Griechen und Römer, Leipz. a. 1872^2, pag. 14 § 20 et L. Müller, de re metrica, a. 1894^2 pag. 382.

Dracont. 8, 201:

Nec | hoc fata sinunt. Pudor est voluisse nocere.

Dracont. 6, 108:

Sed | hoc certamen modico certamine constet.

Sed iam saeculo p. Chr. n. tertio unum exemplum huius usus exstat apud Serenum Sammonicum v. 108:

Vipereae pellis cinerem | his addito rebus.

Haec sufficiant. Plura invenies apud Th. Birtium, qui in libro „der Hiat bei Plautus" p. 100 sqq. magna cum diligentia indicem eorum versuum, in quibus *h* consonantis loco fungitur, composuit.

Quodsi haec ante oculos posuerimus, nullo modo equidem mihi persuadere queo Terentianum iam saeculo secundo fuisse. Sed scriptor ea nimirum aetate, cuius consuetudinem sequitur, scripsisse dicendus est. Itaque Lachmannum recte iudicavisse contendo.

Caput III.

De φ littera graeca.

Ut omnis de Terentiani aetate dubitatio evanescat, accedit gravius argumentum ad persuadendum perquam idoneum. Animum velim intendas in verba, quae scriptor facit in versibus 842 sqq.

Nec sinas errare puerum, quando Daphnin scripserit,
semivocalem locandam primam ut istam (scil. f) existimet:
quippe nos, si quando graecum φ necesse est exprimi,
P et H simul solemus, non latinam hanc, ponere,
cuius a graeca recedit levis atque hebes sonus:
phosphoron Phrygasque nam vel Pamphilum sic scribimus.

Quibus verbis diligenter consideratis habebimus, ubi pedem non nihil figamus. In eo enim versari videmus metricae artis scriptorem, ut sui temporis discipulis ad barbarismum vitandum praecepta det. Iubet magistrum curare, ut pueri φ litteram graecam per *p* et *h* exprimant. De absusu, quo graecum φ per *f* exprimitur, etiam Marius Plotius Sacerdos, qui saeculo p. Chr. n. tertio fuit, verba facit in arte grammatica

(Gr. Lat. VI p. 451 K.): *Barbarismus est vitiosa dictio unius verbi, qui fit modis octo: . . . . per immutationem loquellarum, ac si graecum nomen latine dicas vel latinum nomen graece scribas vel dicas, ut puta si philosophum per f scribas, cum per p et h scribere debeas, vel si felix scribas per p et h, cum f ratio exigat.*

Ex Terentiani versibus elucet vulgarem usum vel absusum esse quem scriptor impugnat, cum magistrum iam pueros, qui graecum *φ* per *f* scribant, arcere opus esse dicat. Quo autem tempore id factum sit quaerimus; Terentianum enim ea aetate vixisse, qua homines minus docti non raro *φ* litteram per *f* expresserunt, apparet. Iam vero hunc absusum saeculo p. Chr. n. tertio ortum esse inter omnes constat. Atque imprimis Theodorus Mommsen, vir summa laude celebrandus, de his rebus verba fecit in clarissima commentatione „das griechische *φ* in lateinischer Sprache“ Hermae vol. XIV (a. 1879) p. 70 sqq. inserta. Audi modo ipsum p. 71: „Wir werden also zwar einräumen müssen, daß f und ph, da sie in der Aussprache ohne Zweifel zusammenfielen, schon wenigstens seit der neronischen Zeit bei Personen von niedrigem Bildungsgrad miteinander vertauscht worden sind; aber bis auf Severus hinab begegnet diese Verwechslung so selten, daß das f im Lehnwort, wenn die Inschrift nicht allergeringster Qualität ist, als ein sicheres Indizium der nachseverischen Zeit angesehen werden darf. Daß mit Severus die Barbarismen, die vorher nur in einzelnen Privatskulpturen auftreten, auch in die öffentlichen Urkunden und in das Gebiet der eigentlichen Steintechnik eindringen, ist schon anderswo bemerkt worden (C. J. L. III p. 919). Aber kaum irgendwo zeigt sich dies so scharf und umfassend wie in dem plötzlichen Eintreten des f statt ph auf den Inschriften dieser Epoche“.[1])

---

[1]) Confer praeterea Th. Claußen, die griech. Wörter im Französischen in Roman. Forschung. ed. K. Vollmöller. Erlang. XV (a. 1904) p. 828: „es (scil. ph) fiel in den ungebildeten Volksschichten schon früh mit f zusammen: Pompeianische graffiti bieten Dafne, Fileto, Fyllis, Trofine (C. J. L. VI, 680), und diese Gleichsetzung drang dann auch trotz des Protestes der Grammatiker in die Sprache der Gebildeten ein.“ et p. 832: „Häufiger wird *φ* erst seit der Zeit des Kaisers

A medio igitur quarto saeculo saepissime *f* pro *φ* scriptum est, atque etiam saeculo tertio haec scriptura iam in lapidibus invenitur, sed rarissime saeculo secundo. His perpensis Terentianum saeculo tertio scripsisse statuimus.

Caput IV.

De *ae* et *e* promiscue habitis.

Dehinc transeamus ad aliam rem, quae memoria digna videtur. Ad tertium enim saeculum ea pertinere mihi videntur, quae legimus in v. 486 sqq.

EV manet correpta, semper est quod *ε* graecum breve:
litteris et E latinis saepe cum sit dichronos,
facta diphthongos nequibit esse producti soni,
nec pedes idcirco fraudat temporum iusto modo;
hanc enim si protrahamus, A sonabit, E et U,
syllabam nec invenimus ex tribus vocalibus.
sic Aristaeum notamus quattuor per syllabas,
quod sibi diphthongos AE iam tertiam non iungit U.[1])

Ad hos versus Petrecinus adnotat haec[2]): „*Eu* diphthongum correpte pronuntiari Graeca ratio demonstrat, quia apud Graecos *ε* semper est brevis: nec tamen pedes suis temporibus fraudantur. Si vero haec litera a scribetur ante eu diphthongum non putes

---

Severus, also nach der Wende des 2./3. Jahrh. n. Chr., regelmäßig seit der zweiten Hälfte des 4. Jahrh. durch lat. f wiedergegeben.“ Adde W. Corssen, Über Aussprache, Vokalismus und Betonung der lat. Sprache I² p. 172 sqq. E. Seelmann, die Aussprache des Latein. Heilbr. 1885 p. 261. W. M. Lindsay, die lat. Sprache. Übers. von H. Nohl. Leipz. a. 1897 p. 13.

[1]) C. Lachmanni adn. ad Lucret. v. 657 p. 384. ed. alt.: „Terentianus Maurus p. 2393 non reprehendit eos qui *caeu* vel *Æupolin* per diphthongon dicerent sed qui priore vocali producta diphthongon diducerent, ut *A-urunci* et *cae-u* sonarent ut *Archela-us* et *Aristae-us*; quamquam productiorem sonum concedit *auspici* et *auro* et Graeco *αὔριον*, cuius differentiae causam non perspicio, rem non miror, qui sciam Petrarcham scripsisse *Pur Faustina il fa qui stare a segno.*“

[2]) Cf. Hephaestionis encheiridion ed. Gaisford. II pag. 449.

esse unam syllabam, quia nulla syllaba invenitur ex tribus vocalibus. Et hoc probat exemplo huius nominis *Aristaeus*, quod quatuor est syllabarum et non trium, quia *u* non iungitur diphthongo *ae*, ut docet author in litera".

Quibus in versibus Terentianus prodere videtur esse, qui graecorum verborum exitum *-ευς* in lingua Romana per litteras *aeus* suo tempore aut scribant aut pronuntient. Scriptorem autem, quippe qui de re satis nota atque vulgata verba facere videatur,[1] iis temporibus fuisse, quibus hic usus scribendi et pronuntiandi adhibebatur, necesse est. Affero Marium Victorinum, qui hanc rationem scribendi, qua littera *e* dipthongi *eu* producebatur, tractavit his verbis[2]: *Consimili ratione* (scil. qua veteres Romani eas syllabas, in quibus *i* productum invenitur, *e* anteposito scriptitabant) *quaeritur, Orpheus in metro, ut*

non me carminibus vincat nec Thracius Orpheus

utrum trisyllabum an disyllabum sit, an idem nomen duplici enuntiatione promatur, aut sine a littera, ut Peleus Pentheus, aut cum a, ut ita declinetur Orphaeus, ut Aristaeus. Visum est tamen hoc posse discerni, ut illa sine a littera graeca sit enuntiatio, haec latina, quae per dipthongon effertur. Quibuscum conferas, quae Birtius exposuit in Mus. Rhen. vol. XXXIV (1879) pag. 15: „Also man spricht (enuntiat) in metrischer Sprache (in metro, also in prosaischer Sprache schwankte man nicht einmal) Orpheus entweder ohne a zweisilbig oder aber mit a dreisilbig wie Aristaeus. Es wird sodann noch als abschließende Formel hinzugefügt, schreibe man kein a, so sei dies graeca enuntiatio, schreibe man diphthongisch, so sei dieses latina."

Terentianus igitur si re vera de hac re cogitavit, nemo concedet eum saeculo p. Chr. n. altero scripsisse. Nam demum a saeculo tertio *aeu* pro *eu* in lapidibus et in codicibus saepe legitur. Sic invenimus, ut nonnulla exempla afferam, *Protaeus Tydaeus, Idomaeus, Achillaeus, Basilaeus, Laeucadii.* Neque vero antea ullum huius usus exstat exemplum. Ceterum H. Schuchardt[3])

---

[1]) Conf. E. Seelmann, Die Aussprache des Latein, Heilbr. a. 1885 pag. 229.

[2]) Gr. Lat. VI 66, 28 K.

[3]) Der Vokalismus des Vulgärlateins I p. 443.

plurima vocabula collegit, in quibus dipthongus *eu* per *aeu* scripta est. Praeterea Th. Birt nonnulla exempla affert in opusculo „Sprach man avrum oder aurum?" Mus. Rhen. suppl. 52 (a. 1897) p. 13 haec disserens: „Der Italiener spricht heute Europa fast viersilbig als E-u-ropa mit richtigem dunklen *u*. Dafür daß dies auch schon im alten echten Vulgärlatein die übliche Aussprache war, gibt die Schreibung mittels *aeu* Zeugnis, die gewiß seit dem 3. Jahrh. n. Chr. üblich wurde: ich meine die *Protaeus, Tydaeus, Idomaeus* der Vergilhandschriften, die aus bewußtem usus hervorgingen; ... Die Erscheinung wiederholt sich in solchen Schreibungen wie *Aeutropius, Aeutychis, Laeucadii* ... Sogar im Vokativ steht *Orphaeu* Verg. Georg. IV 494 cod. R. Die Dihärese wurde durchgeführt; man konnte nicht anders. *Orphaeus* wird bei diesen Grammatikern mit *Aristaeus* gleichgesetzt, und der Name ist Daktylus wie der des *Matthaeus*, den schon Iuvencus evang. praef. v. 1 folgendermaßen mißt:

Mattheus instituit virtutum tramite mores."

Denique quamquam Terentianus nomen *Aristaeus* solum affert, quod quattuor syllabarum esse constat, neque de reliquis quale est *Orpheus* plura profert, tamen equidem eum omnino de scriptura *aeu* pro *eu* dipthongo in Graecis verbis recepta cogitasse puto, praesertim cum Marius Victorinus, qui Terentiani libris usus est, uno tenore *Orpheus* et *Aristaeus* commemoret.

Sed hoc argumentum magni momenti non esse atque adeo in dubitationem vocari posse concedo propterea quia *Orpheus* nomen non adfertur. Tamen hoc argumento neglecto iisdem in versibus aliquid inesse demonstrabo, quod ad Terentiani aetatem definiendam gravissimum est. Agitur autem imprimis de versibus 490—493:

hanc (scil. eu dipthongum) enim si protrahamus, A sonabit, E et U,
syllabam nec invenimus ex tribus vocalibus.
Sic Aristaeum notamus quattuor per syllabas,
quod sibi dipthongus AE iam tertiam (scil. vocalem) non iungit U.

Itaque Terentianum eo quod dicit, si *eu* dipthongus protrahatur, *aeu* nasci, *ae* dipthongum pro *e* vocali longa posuisse

apparet. Quaeritur autem nunc, quo saeculo *e* vocalis longa et *ae* dipthongus commutatae sint. Nam scriptorem, qui ipse *ē* et *ae* confundit, ea aetate, qua haec commutatio in usu erat, fuisse necesse est. Etiamsi *ē* et *ae* interdum iam priore aetate in inscriptionibus parietum Pompeianorum promiscue ponuntur,[1]) tamen in doctis litteris usum scribendi *ae* pro *ē* et invicem saeculo p. Chr. n. tertio et quarto nec antea viguisse omnino inter omnes constat.[2]) Quibus saeculis etiam apud homines eruditos, quo in numero Terentianus habendus est, haec ratio scribendi usitata erat.

Quae cum ita sint Terentianus nequaquam saeculo secundo scripsisse dicendus est; sed scriptorem posteriori aetati, cuius usum praebeat, attribuendum esse etiam hac observatione firmatur.

Additamentum de *au* dipthongo.

Porro posterioris aetatis indicium est ni fallor, quae Terentianus de correptione dipthongorum *au* et *eu* profert in v. 467 sqq.

AU et EU, quas sic habemus cum Grais communiter
corripi plerumque possunt temporum salvo modo,
sive graecis seu latinis inserantur versibus.
'aut age' inquit ille vates, saepe dixit 'aut ubi',
dixit 'Aurunci', quod aeque barbarum est producere:
pes ubique lege constat, prima cum correpta sit,
consonans et una plenum non queat tempus dare
et 'lupi ceu' dixit idem: finis est versus quidem,
pes tamen non est trochaeus, quia diphthongos extima est
dactylus nam pes et ille est, nubi nate ceu duo.
αὐέρυσαν inquit poeta, sic et *αὐτάρ* corripit:
Εὔπολιν πεύκην et *εὔνουν* aut poetam *Εὐριπίδην*
syllabas primas necesse est ore raptim promere;
tempus at duplum manebit, nihil obest correptio.

---

[1]) Cf. E. Seelmann, Die Aussprache des Latein p. 225.

[2]) Cf. E. Seelmann l. l. p. 226. W. Corssen, Über Aussprache, Vokalismus und Betonung der lateinischen Sprache (a. 1868^2) I p. 692 sq. W. Brambach, Die Neugestaltung der lateinischen Orthographie (a. 1868) p. 204 sq. Lindsay-Nohl, Die lateinische Sprache p. 42. Stolz-Schmalz, Lateinische Grammatik (a. 1910^4) p. 76.

AU tamen capere videtur saepe productum sonum,
auspices cum dico et aurum, sive Graecus αὔριον.
mira nec putanda nobis talis alternatio est,
dichronon quod ἄλφα notum est, sicut A nostratibus;
inde communem ministrat sola dipthongus sonum.
EU manet correpta, semper est quod ε graecum breve:
litteris *et* E latinis saepe cum sit dichronos,
facta diphthongos nequibit esse producti soni,
nec pedes idcirco fraudat temporum iusto modo.

Iam Birtius in libro „Sprach man avrum oder aurum?“ Mus. Rhen. suppl. 52 (a. 1897) p. 101 sqq. fusius hos versus tractavit. Terentianus enim dipthongos, quae cum *u* compositae sunt, interdum breviter pronuntiatas esse contendit. Qua de re apud nullum alium scriptorem similia invenimus exposita. Puto autem scriptorem, qui hos versus notatu dignos conscripsit, posteriore aetate vixisse. Si enim verum est, quod Terentianus docet in *autem* vocalem *a* abbreviatam esse, in *aurum* productam, id ad Varronis aut ad Terentii Scauri tempora referre vix ausim; sed veri similius esse arbitror inferiore demum aetate has vulgares pronuntiandi differentias ortas esse.

Caput V.

De *qui* dativi forma pronominis relativi.

Eximii porro momenti esse dixerim, quae leguntur in versibus 686 sqq.

hanc brevem sed ante nobis pervidendum est syllabam
una consonans secuta quatenus longam creet:
ipsa nam vel secum habere consonantem debuit,
vel duarum post sequentem sublevari tempore.
ante quod nobis liquere non potest, si non prius,
consonans quae prima in ista syllaba cui scribitur
C magis vel Q notari debeat, dispexeris;
saepius quia C locare plurimis iam moris est:
sic enim constare poterit, e duabus quae magis
nunc locum vocalis habeat, U prior vel I sequens.
namque si Q proferatur, syllabae fient duae,

tertia his quod implicari nulla vocalis potest,
sed duae fient seorsae syllabae per se breves.
quï super sic inveniri dactylus iam non potest,
syllabas sed pes habebit quattuor totas breves.
principale sed videmus esse quis, quo nascitur
quï, dativum quando casum ratio sermonis petet.

Petrecinus adnotat haec[1]): „Quoniam proxime dixit hunc dativum *cui* esse unicam syllabam naturaliter brevem, sed tamen fieri longam sequente consonante propter positionem i, quae consonans est in ea parte orationis *cui*, et sequentem consonantem, ut in superioribus exemplis: nunc innuit nos tum demum posse cognoscere utrum in hoc dativo i consonans sit ultimo loco posita, an u praecedens, si prius discusserimus utrum per q an per c scribi debeat: nam si per q scribitur, i necessario vocalis est, si per c, aut monosyllaba vox erit, et tunc i consonans, aut disyllaba, et tunc u et i vocales erunt ut apud Prudentium invenitur.“

Terentianus igitur his in versibus duas dativi formas *cui* et *qui* discernit. Sed cum forma *qui* sub ipsum antiquitatis exitum orta sit nec antea, etiam Terentianus, qui de hac forma disserat, cadenti aetati adscribendus est. *Qui* enim inde a saeculo quarto in usu est atque frequenter e. g. in codice Florentino Digestorum legitur.[2]) Quin etiam Optatianus Porfyrius hac forma *qui* usus est. De quo adeundus Th. Birt, Jugendverse und Heimatpoesie Vergils, Erklärung des Catalepton, Leipzig 1910 p. 51: „Lehrreich ist noch der Dichter Optatianus Porfyrius, der im Panegyricus Constantini 3, 8 (ed. L. Müller) schrieb: tu quivis docta Camena edere dicta favens, wo, wie L. Müller S. 33 richtig anmerkt, quivis für cuivis steht. Das Gedicht des Optatian ist aber ein carmen quadratum mit Akro-, Tele- und Mesosticha und die Buchstaben der Wörter stehen unverrückbar fest, da

---

[1]) Cf. Hephaestionis Alexandrini enchiridion ed. Th. Gaisford. Oxonii a. 1855 ^{2} tom. II p. 462.

[2]) Cf. Th. Birt, Mus. Rhen. vol. 51 (a. 1896) p. 504. Sprach man avrum oder aurum? Mus. Rhen. suppl. 52 (a. 1897) p. 191. Archiv f. lat. Lexikogr. XV (a. 1908) p. 81.

sie dem Kunststück der Buchstabenspielereien dienen, durch die Optatians Gedichte ausgezeichnet sind, s. die Wiedergabe bei Müller S. 37. Damit ist diese Orthographie also datiert; dieser Dichter schrieb um 320 n. Chr. selbst qui im Dativ, und zwar in einem Exemplar, das er dem Kaiser widmete. Daher wurde denn auch fast gleichzeitig mit diesem Optatian im Palatinus Vergils Georg. 2, 204 das qui für cui eingesetzt, ebenso wie im Leviticus Monacensis 13, 2 (Ziegler, Bruchstücke des Pentateuch) und im Gaius Instit. p. 121, 21, und Donat merkt zu Terenz Phorm. 1, 2,19 an: qui dativus casus est."

Praeterea *qui* pro *cui* invenitur in inscriptione inordinatis litteris parumque claris scripta[1]) (C. I. L. V suppl. Ital. ed. H. Pais in Atti della Reale Academia dei Lincei, S. IV: Memorie vol. V p. 210 n. 1080, 474), quam Franciscus Buecheler, vir sollertissimus, explicavit in Mus. Rhen. vol. XLV (a. 1890) p. 334.

Denique etiam hac re cogimur, ut Terentianum saeculo p. Chr. n. tertio adnumeremus. Neque enim ullo modo fieri potest, ut scriptorem eum saeculo secundo attribuamus, qui de rebus disserit, quae non nisi inde a saeculo tertio inveniuntur.

Caput V.

De verbis inferioris latinitatis propriis.

De Terentiani Mauri aetate eo minus ambigi potest, quod in vocabulario eius multa insunt, quae posteriorem aetatem indicant. Supra in capite primo commemoravi his vocabulis Terentianum saeculo tertio exeunte scripsisse comprobari.

Colliguntur igitur hoc capite verba, quae praeter Terentianum non nisi in sermone scriptorum inferioris latinitatis inveniuntur. Praeterea etiam ea componuntur vocabula, quae in aurea latinitate quae vocatur reperiuntur, sed saeculo primo et secundo post Chr. n. fere desunt, reviviscunt autem apud scriptores posterioris aetatis.

---

[1]) Hunc locum mihi indicavit Birtius, summa qua semper erga me fuit humanitate.

A. Ac primum quidem affero substantiva.

accessus (cf. Thes.[1]) I 289 IV).

v. 1105 temporis accessu non tantum est reddita longa,
v. 1115 sentiet accessum momenti et temporis auctum.

Accessus hoc loco habet significationem „adiectio, additamentum".[2]) Quo sensu iam exstat apud Pomp. Mel. 2, 79; Sen. nat. III, 27, 10; Plin. nat. 2, 166; Apul. Plat. 1, 15. Sed substantivum cum genetivo „temporis" coniunctum non legimus nisi apud scriptores posterioris aetatis, apud Servium Aen. 9, 279 *ab hac audacia accessu temporis inferior non probabor;* 11, 463 *licet in his rebus accessu temporis ducum varietas semper mutaverit . . . disciplinam*; Siric. epist. 1, 10, 14 *accessu temporum*; Augustin. civ. 13, 10 *sed urgentur omnes pari motu nec diverso impelluntur accessu*; 22, 4 *sed accessu temporis erit vel potius apparebit*; Leo Magn. sacr. 29, 6 p. 121 (ed. Migne); Avell. p. 734; Canon. 29, 10; Cassiod. var. 11, 1, 5 *quando nulla erit accessu temporis difficilis clementia.*

† **acumen**[3]) (cf. Thes. I 460).

v. 318 non enim cursim aut remisse tam minuta acumina
adsequi quicumque poterit.

Acumen numero plurali interdum „acute inventa" significat; sic invenitur iam apud Cic. de orat. 2, 158 *dialectici . . . se compungunt suis acuminibus* et apud Hor. epist. 1, 17, 55 *meretricis acumina.* Postea autem legimus hoc substantivum demum apud Arnob. nat. 5, 33 *argutiae sunt . . . atque acumina haec omnia*; Symmach. epist. 7, 9 *scintillare acuminibus atque sententiis epistulas tuas gaudeo*; Hier. epist. 57, 12 *syllogismos Aristotelis contortaque Chrysippi acumina*; 125, 12 *Quintiliani acumina*; 133, 12 *sententiarum tuarum acumina*; Ennod. epist. 8,1 *inter Ciceronis gladios et Demosthenis enituit et utriusque propositi acumina quasi natus in ipsa artium pace collegit.*

---

[1]) Hoc siglo usus sum in laudando Thesauro linguae Latinae.

[2]) Conf. O. Hey, Archiv f. lat. Lexikogr. IX (a. 1896) p. 453.

[3]) Quae verba in aurea latinitate inveniuntur, postea desunt atque apud scriptores inferioris aetatis rursus occurrunt, addito crucis signo notavi.

compressio.

v. 190 compressio porro est in utraque dissonora (scil. labellorum.)

Quo verbo utuntur eodem sensu Scribonius et Gellius, sed de labellis dictum est ab Lactant. de opif. Dei lib. X § 13 *nisi adiuta vel offensione dentium vel compressione labrorum.*

conlisio (cf. Thes. III 1633).

v. 831 sed sonum confundit ipsa partium conlisio.

Terentianus hoc loco disserit de duplicata littera *f* in verbis *suffice, offer, suffer,* atque *conlisio* idem est quod *contractio.* Hac autem significatione vocabulum scriptum non legimus nisi apud grammaticos, quales sunt Diomed. I 420, 20 K *tinnitus est fabricatae materiae illisio tenui sono auditionem acuens; sonus est corporalis conlisio repentinum auribus inferens fragorem;* Serv. gr. IV 445, 22 K *conlisiones sunt, quotiens ab iisdem syllabis inchoamus sequentes partes orationis, quibus terminantur priores;* Pomp. gr. V 287, 26 K *conlisio est, quotiens altera pars in alteram similitudinem litterarum vel coeperit vel finierit;* Macrob. exc. gramm. V 650, 20 K *per conlisionem vel contractionem hisco;* Isid. orig. 1, 31, 9 *conlisio est quotiens novissimae syllabae finis m alterius principio est;* Diomed. gramm. I 453, 4 K *vitia, quae nonnulli barbarismos putant, iotacismi . . . conlisiones;* Don. gramm. IV 393, 1 *barbarismos putant, in quibus sunt . . . conlisiones;* Serv. IV 445, 8 et Pomp. gr. V 286, 7 *inter barbarismos conlisiones enumerant;* Diomed. I 442, 15 *synaliphe est conlisio* (Cf. Don. gr. IV 396, 23 et Pomp. gr. V 289, 17); Diomed. gramm. I 442, 25 *ecthlipsis est conlisio* (Cf. Don. gr. IV 396, 28); Prisc. gr. III 421, 10 *omnes . . . crebris synaliphis et episynaliphis et conlisionibus et abiectionibus s litterae sunt usi;* Serv. Aen. 1, 3, 332 *synhizesis . . . est vocalium conlisio* (Cassiod. gr. VII 200, 1 *amittunt conlisione vocalium spiritum*); 3, 151; 6, 887; Serv. gr. IV 425, 1 *debet cum quadam conlisione proferri;* Pomp. gr. V 119, 2 *quando lubrica est ipsa conlisio;* 120, 7 *per conlisionem* (Consent. gramm. V 389, 32; Macr. exc. gramm. V 650, 20); Macr. exc. gramm. V 623, 18 *ex conlisione;* Gregor. M. epist. 5, 53[a], 5 p. 357, 39 *non metacismi conlisionem fugio, non barbarismi confusionem devito.*

Deest in Thesauro linguae Latinae locus Marii Victorini a. gr. I 20, 1 K p. 65 *Observanda praecipue in metris litterarum vocalium*

inter se conlisio, quae trifariam evenit, id est per συναλοιφήν, ἔκθλιψιν, συνεκφώνησιν vel *συναίρεσιν.*

consona (cf. Thes. IV 484).

v. 86 vocalia quaedam memorant, consona quaedam.

item v. 89; v. 152; v. 171; v. 174; v. 176; v. 291; v. 542; v. 555; v. 559; v. 564; v. 572; v. 575; v. 579; v. 581; v. 594; v. 597; v. 604; v. 614; v. 624; v. 628; v. 638; v. 750; v. 754; v. 758; v. 760; v. 761; v. 769; v. 771; v. 775; v. 778; v. 789; v. 794; v. 816; v. 834; v. 848; v. 857; v. 936; v. 937; v. 944; v. 952; v. 953; v. 959; v. 974; v. 984; v. 1020; v. 1031; 1070; v. 1109; v. 1111; v. 1119; v. 1137; v. 1164; v. 1184; v. 1186; v. 1189; v. 1192; v. 1203; v. 1225; v. 1231; v. 1320; v. 1661; v. 1773.

Terentianus in omnibus his versibus genus femininum adiectivi *consonus* adhibuit pro „consonans". Qui usus invenitur apud Consentium gramm. V 399, 7 *'emicat Euryalus et munere victor amici'. nam '-lus et' sine dubio non stat priore parte, quoniam, cum brevem vocalem una consona sequitur, brevis permanet,* aliisque locis.

Praeterea *consona* terminus technicus quem hodie dicunt musicorum exstat apud Boeth. mus. 4,1 *Consonae sunt quae simul pulsae suavem permixtumque inter se coniungunt sonum.* 5, 7 *consonae vocantur quae copulatae mixtos suavesque officiunt sonos.*

dictio.

v. 1317 vinculum nam signat ista congregale dictio.

dictio i. q. *vox* vel *verbum* exstat apud Mar. Vict. VI 5, 2 K *dictio est figura significantium vocum*; Diomed. I 422, 18 K *hae etiam mediae dicuntur quia in quibusdam dictionibus expressum sonum habent*; Prisc. II, 1 p. 44, 16 H *pro ov autem u in Graecis dictionibus semper in principio invenitur syllabae*; ibid. p. 51, 15 *Distat syllaba a dictione et sensu; nisi enim sciamus, quomodo posita sit syllaba in dictione, incertum est, quo accentu eam pronuntiemus: syllaba enim per se, nisi cum sit dictio, sensum habere non potest.* Prisc. II, 14 p. 53 in capite quod inscribitur *de dictione.*

discretio.

v. 71 neu discretio falsa sit (rerum).

Hoc vocabulum occurrit apud Tryphoninum[1]) in dig. VII 1, 62 *ne per singula animalia facultatis fructuarii propter discretionem difficilem ius incertum sit.* Tertull. anim. 51 *Opus autem mortis in medio est, discretio corporis animaeque.* Lact. VII 12, 4 *cum vis aliqua utrumque discreverit, quae discretio mors vocatur.* Mar. Vict. VI 188, 14 K. *Quae sunt* (scilicet *partes lectionis*)? *Accentus, discretio . . . Discretio quid est? confusarum significationum perplana significatio.* Diomed. I 436, 23 K *Discretio est confusarum significationum perplana expositio, quae ostenditur modis quinque.* Ambros. hexaëm. II, 1, 1 (p. 41 Schenkl) *discretionem factam lucis atque tenebrarum dei omnipotens et domini Iesu Christi.* Avien. Arat. II 31 *Insociabilium discretio iusta deorum.* II 299 *Nullus telluri limes datus, iudice nullo Culta secabantur neque iam discretio campum Metiri in dominos monstraverat.* Macrob. somn. Scip. I 6, 17 (p. 487 ed. Eyssenhardt) *discretio vero sexus futuri sicut Hippocrates refert sic in utero dinoscitur.* Veget. veterin. I 16, 1 *Elephantiasis morbi discretio superius est indicata.* Ammian. Marcell. XVII 1, 1 *sine discretione cunctos humari mandavit.* XXIII 6, 67 *sine ulla discretione.* XXVI 6, 7 *qui ad nudandos sine discretione cunctos immaniter flagrans . . . vinciebat.* XXX 5, 5 *absque iustorum iniustorumque discretione.* Prudent. hamartig. 25 *Ius varium non est plenum; quia non habet alter, Quidquid dispar habet: cumulum discretio carpit.* August. de genes. ad Litt. II 8 *discretio terrarum atque aquarum.* Cassian. J III, 9 *nec super earum iudicio quicquam suae discretioni committere.* 39, 2 *tertio si nihil discretioni, sed iudicio eius universe committat.* V, 3. 4, 1 et 4. 7. 20. 23, 2. 36, 1. 41. VII 1. 3, 1. VIII, 1, 1 et 2, 22. XI, 4—8. XII, 17, 3 et 6 passim. Jul. Exuperant. 4 *legem tulit, ut novi cives cum veteribus nulla discretione suffragium ferrent.* Prisc. l. 17,

---

[1]) Est aequalis Papiniani atque libros suos saeculo p. Chr. n. tertio composuit. Conf. W. Kalb, Roms Juristen, Leipz. a. 1890 p. 122: „Seine Schriften, von denen der erste Teil nach Fitting, Alter der Schriften S. 32 unter Caracalla und Geta, der zweite unter Caracallas Alleinregierung geschrieben ist, sind wahrscheinlich im Ausland herausgegeben."

88 (III p. 157 K) *sin autem alicuius rei discretionem volumus manifestare.* l. XIII, 22 (III p. 14 K). Ps.-Quintil. decl. mai. III b. Trib. Marian. 3 (p. 60 ed. Lehnert): *Patere, Gai Mari, patiatur et tua divina virtus et Romanae tecum militiae pia discretio.* Etiamsi harum declamationum Ps.- Quintiliani aetas incerta est, tamen posteriore aetate declamationes maiores scriptas esse constat.[1])

dispectio.

v. 1607 ne, dum requiris, tarda sit dispectio.

Dispectio i. q. *consideratio* legimus apud Tertull. res. carn. 39 *haec dispectio tituli et praeconii ipsius.*

excrementum.

v. 2611 excrementa magis putant.

Hoc vocabulum a verbo excrescendi derivandum est atque invenitur eodem sensu apud Mart. Capell. VII 734 *sic decem milia ceteraque excrementa complentur* et apud Sidon. Apoll. ep. I 2, 3 *aream dorsi humilior inter excrementa costarum spina discriminat. Incrementum* autem invenitur iam apud Caes. Bass. VI 259, 5 K; 10; 28. Mar. Vict. VI, 39, 26 K; 43, 11; 12; 14; 17; 48, 30 al.

miltos.

v. 225 *instar tituli fulgidula notabo milto.*

Miltos vocabulum graecum est atque significat „minium“. Adfertur iam a Plinio, qui rubicum colorem ab hominibus Graecis *μίλτον* nominari exposuit nat. hist. XXIII, 115 *milton vocant Graeci miniumque cinnabarim.* Sed hoc verbum Plinii tempore nondum in sermone usitatum esse ex his ipsis elucet; posterioribus temporibus scriptum legitur apud Venant. Fort. carm. VI 7, 41 *Disputans multum, variante milto.*

momen.

v. 660 sqq. U latina sic obesa sordet, a vocalibus
prorsus ut* segregandas sic utrasque existimem,
momen I quod consonantis, U vicem solam gerat.

---

[1]) Conf. W. S. Teuffel, Gesch. der röm. Lit. (1910[6]) II § 325, 11 p. 331.

Nomen in editione Mediolanensi legitur. Sed cum hoc verbum sensum idoneum non praebeat, Lachmann *momen* coniecit, quod sensum sane praebet. Facillime autem fieri potuit, ut librarius 'n' litteram pro 'm' poneret. At vero Werth[1]) Lachmanni coniecturam non probat et litteras potius I atque U commutat. Scripsit haec: „662 Lachm. *momen* coniecit et certe quod M praebet ferri non potest. Sed ne vv. 663 et 664 sensu priventur, litterae I et U commutandae sunt: *nomen U quod consonantis* (i. e. *digammon* nomen habet), *I vicem solam gerit*". Quod tamen vix habet quo commendetur.

Momen sensu proprio iam apud Lucretium exstat. Sed ea significatione, qua Terentianus verbum posuisse videtur, invenitur apud Arnob. II, 49 *et non modo non parvi, sed esse nullius existimandum est mominis*, quem locum lexica afferunt. Praeterea vocabulum legimus apud eundem scriptorem II, 35 *mortales quam sumus nos ipsi et nullius apud principem mominis?* II, 39 *desinite res parvas atque exigui mominis immanibus pretiis aestimare.*

Atque etiam Marius Victorinus hoc verbo videtur usus esse VI 36, 27 K: *cuius* (scil. *communis syllabae*) *exemplum apud Homerum ἄνδρα μοι ἔννεπε Μοῦσα, apud nostrum 'insulae Ionio in magno'. nam sub tali* (*subtili* ABS, *sub illa* Keil) *coniunctione longae quae sunt huius modi, utriusque vocalis nomen incurrunt, et in collisione spatium temporis ipsa pronuntiandi celeritate consumitur* e. q. s. Quibus in verbis *nomen* non recte traditum esse videtur. Qua de causa O. Hense *momen* restituit[2]) vocabulum librariorum festinantia obscuratum esse suspicans.

nitela.

v. 216 Sed graecula quaedam scholicae nitela vocis.

Hoc verbum iam apud Apul. apol. 6 invenitur, ubi significationem habet „Glanzmittel". Apuleius enim scripsit haec: *misi, ut petisti, ⟨tibi⟩ munditias dentium, nitelas oris ex Arabicis frugibus.* Terentianus autem hac voce translate usus est. Eius modi lexica duos Solini locos afferunt: 22, 5 *nam et praecipua viris gloria est*

---

[1]) De Ter. serm. et aet. p. 315 adn. 1.
[2]) De Iuba artigrapho (in Act. societ. philol. Lips. tomo IV) p. 110 sq.

in armorum nitela et 23, 4 *depurgant in minium nitelas pulveris.* Sed priorem locum spurium esse Mommsen, Solini editor clarissimus, censet; nam solum in parte codicum (SAP) verba huius loci leguntur. Vir doctus profert haec in praef. edit. p. 48 sq. „Tertium argumentum offert locus de Hibernia p. 234, 12—20 *puerpera — nitela* illis de quibus agimus per omnia ita similis, ut eiusdem auctoris esse vix negari queat: quod enuntiatum cum subministrent soli codices classis tertiae sescentis locis interpolati, hoc quidem loco plenum Solinum nobis exhibere eos solos quis credet? immo probabilius longe sic statuemus interpolationis in margine coeptae potiora quaedam vel in classem secundam se insinuasse ante, quam tota textum invaderet eamque quae nobis tertia est familiam efficeret“.

Porro autem vocabulum in glossariis legitur: *'nitellae' nitoris diminutio* Corp. Gloss. Lat. (ed. Loewe-Goetz) IV 123, 43. *'nitellae' nitores diminutivae* C. Gloss. Lat. IV 541, 56. V 313, 42. 347, 59. *'nitellae' nitores parvi* IV 262, 6. 368, 46. V 468, 20. 528, 38 *'nitellae' nitores parvi, nitores diminuti* ⟨*ve*⟩ V 605, 45. *'nitille' nitores* IV 125, 25.

sermo.

v. 797 K similiter otiosa ceteris sermonibus,
tunc in usu est, cum kalendas adnotamus aut kaput.

Adde vv. 841, 945, 1113, 1131, 1202, 1262, 1272, 1278, 1281, 1318, 1659, 1943, 2024, 2591.

Omnibus his locis *sermo* significat *verbum* vel *vocabulum.* Sed alio sensu *sermo* apud Pomp. dig. 28, 5, 29. Ulpian. dig. 7, 1, 20. dig. 11, 7, 2 legitur, ubi idem est quod *enuntiatum.*

Eadem significatione qua Terentianus vocabulum adhibuit, invenitur apud Diomed. I 339 K (passim). p. 340, 36. p. 341 (passim). Serv. ad Verg. Georg. I 93 AVT BOREAE PENETRABILE FRIGVS ADVRAT *'adurat' et ad solem et ad frigus pertinet: nam uno sermone duo diversa conclusit.* ibid. III 250 TOTA TREMOR PERTEMPTET e. c. *signatis sermonibus utitur ad vim amoris exaggerandam.* — Corradini porro hos locos addidit: Rufin. orig. princ. I 8 *Non idem sensus ibi ex isto sermone ἀσωμάτου indicatur, qui ostenditur, cum de incorporea natura a philosophis disputatur.*

Cassiod. in Ps. 21, 1 *δέος sermo Graecus est, qui latine interpretatur timor.*

† vola.

v. 26 quod stringi nequeat vola.

vola i. q. *θέναρ χειρὸς* occurrit apud Paul. ex Festo 370, 7 (I p. 564 sq. ed. Thewrewk de Ponor) VOLAE VESTIGIVM *medii pedis concavum, sed et palma manus 'vola' dicitur.* Praeterea exstat apud Non. Marcell. 416, 18 (p. 671 ed. Lindsay) VOLA *est media manus. Varro Epitaphionibus, περὶ τάφων* (110): *„pleni libri, inquam, ubi maneant epitaphia eorum, quorum in sepulcris nec vola nec vestigium exstat"*. Adde Prudent. apoth. 859 *Numquid manus articulatim Est digesta Dei? numquid vola?* Prob. cath. 11, 20 K *hoc 'ir', significans medietatem palmae, quae etiam vola dicitur, Graece θέναρ.* Serv. Aen. III 233 *aut intra volam interiorem manus amplectitur praedam: unde et 'involare' dicimus intra volam tenere, unde et pyra quaedam volema dicuntur, eo quod volam impleant.*

B. Deinde adiectiva enumero.

† dissolubilis.

v. 2224 nam non ita, est ut longa dissolubilis,
breves vicissim contrahi in longam valent.

Iam Cicero hanc vocem bis adhibuit, de nat. deor. I, 20 *Quae est enim coagmentatio non dissolubilis* et III, 29 *mortale igitur omne animal et dissolubile et dividuum sit necesse est.* Postea non nisi apud scriptores inferioris latinitatis exstat, apud Tertull. de anim. 14 (ed. Reifferscheidt et Wissowa I p. 318) *si enim structilis et dissolubilis, iam non immortalis.* Lact. II 8, 39 *quod accipit vim, dissolubile est.* IV 8, 10 *nostri spiritus dissolubiles sunt.* August. de genesi ad litt. c. 8 *Quoniam caelum firmamentum vocavit, non absurde intellegitur, quidquid infra aethereum caelum est, mutabilius esse et dissolubilius.*

fulgidulus.

v. 225 instar tituli fulgidula notabo milto.

Terentianus hac voce solus usus est.[1]) Sed adiectivum *fulgidus*, a quo *fulgidulus* derivatur, quamquam iam occurrit apud

---

[1]) Conf. Alfr. Werth, De Ter. serm. et aet. p. 318.

Lucret. III 363 et Quint. Cic. poet. in anthol. Lat. 642, 15, saepius invenitur in inferiore latinitate. Legimus enim *fulgidus* apud Arnob. II 58 *obtunsi haec luminis, acutioris illa et fulgidae claritatis?* Solin. 37, 20 *solis gemma percandida est ad speciem fulgidi sideris.* Iul. Valer. 164, 13 (ed. Kübler) *fulgidum globum.* Prudent. cath. I 9 *Post solis ortum fulgidi.* V 129 *non sicut tenebras de face fulgida.*

Forma comparativa exstat apud August. serm. 384, 1 et apud Ven. Fort. carm. spur. in laudem Sanctae Mariae v. 351 (pag. 380 ed. Leo).[1])

labilis.

v. 309 labili versu ministret inretusos exitus.

Quo verbo utuntur Arnob. ad nat. I 29 (p. 19, 19 ed. Reifferscheidt) *cum sint labiles solubilesque natura.* II, 45 (p. 83, 27) *animas ... in vita labiles.* II, 50 (p. 87, 19) *apertissime animas esse indicant labiles et infirmitate et ad vitia proclives.* II, 53 (p. 89, 27) *animas ... parvarum et labilium virium.* II, 59 (p. 94, 22) *natura res labilis.* III, 8 (p. 117, 5) *corporum res caduca et labilis.* III, 12 (p. 120, 11) *mortale esse arbitramur et labile.* VII, 4 (p. 240, 9) *dulcedinis labilis volucri titillatione mulceri.* Amm. Marcell. 27, 10, 11 *per labilem limum incitato iumento digressus.* Cassiod. var. II 3 *cui labilis fortuna non imperat.*

melodus.

v. 1439 optimus pes et melodis (scil. carminibus) et pedestri gloriae.

Vocabulum *melodus* i. q. „gesangreich" invenitur apud Auson. profess. 15, 8 *te fabulantem non Ulixes linqueret, Liquit canentes, qui melodas virgines* (i. e. sirenes). Prud. cath. IX, 2 *Dulce carmen et melodum, gesta Christi insignia.* Sidon. Apoll. ep. IX 15 *Proculus melodis insonare pulsibus.*

morosus.

v. 319 . . . . sed morosa intentio
tam legenti debet esse, quam fuit nobis quoque,
v. 2819 Iam divisio quarta non morosa
qualem suggerimus tomen habebit.

---

[1]) Conf. Her. Rönsch, Itala und Vulgata, Marbg. a. 1875 ² p. 141.

Quod adiectivum, cum breviata syllaba prima legatur, a *mŏra* derivandum esse apparet.[1]) Itaque Brissaeus et Barthius recte interpretati sunt „longa, prolixa, taediosa“.[2]) Vocabulum Terentiano excepto occurrit apud Cassian. Coll. 17, 5, 3 *pollicitationem fidei nostrae quamvis moroso reditu solveremus.* Mart. Capell. II 219 *Transcursa lector parte magna fabula, Quae tam morosis implicata ductibus.*

† parilis.

v. 263 et *σίγμα*, quod istis parili sede vibratur;
v. 265 itidem parili sede sequi *φ* quoque, tum *ψῖ*.
v. 1568 binas pariles qui sibi syllabas habebunt.
v. 1968 obrue nos Danaosque simul parilem dedit illi.
v. 2696 nec non continuos tres pariles dedit (scil. versus).
v. 2804 versus hic igitur sunt pariles duo.

Quo vocabulo usi sunt iam Lucret. I 1065 et Ovid. metam. VIII 631. trist. I 8, 26. Postea adiectivum invenimus demum apud Nemes. ecl. IV, 5 *Ignis erat; parilisque furor de dispare sexu.* Charisius autem adverbium *pariliter* adhibuit, inst. gram. lib. II (I, 214 K): *Pariter pro pariliter Cicero, ut Maximus notat. similiter et Maro XI.*

pastoralis.

v. 2123 pastorale volet cum quis componere carmen.

Pastorale carmen idem est quod *carmen bucolicum.* Quae coniunctio verborum vix alibi exstat atque apud Diomed. I 486, 17 K *Bucolica dicuntur poemata secundum carmen pastorale composita.* Certe Servius differt, qui semper *carmen bucolicum* scripsit in prooemio commentarii in Verg. Buc., quamquam *vita pastoralis* interdum posuit. De cantu hoc vocabulum *pastoralis* adhibuit Claudianus, de consulatu Stilichonis I, 182 (p. 195 ed. Birt): *Te memor Eurotas, te rustica Musa Lycaei, Te pastorali modulantur Maenala cantu.*

---

[1]) Cf. L. Müller, De re metrica[2] p. 454. Werth, De Ter. metr. et elocut. p. 26.

[2]) Cf. Hephaest. ed. Gaisford. t. II p. 633.

seorsus.

v. 87 haec reddere vocem quoniam velut seorsa.
v. 680 Sed duae fient seorsae syllabae per se breves.
v. 990 ne dabit per se seorsam, sed residuam nominis.
v. 2539 Nunc quia quae potui videor tractasse seorsa.

Optimi et sinceri scriptores adverbio *seorsum* semper usi sunt;[1]) sed Terentianus adiectivum adhibuit. Praeterea adiectivum usurpatur aut apud priores, Catonem (frg. orat. 5, 2 ed. Jordan p. 39, 3) apud Fest. p. 201, 26 *Maiores seorsum atque diversum pretium paravere,* aut apud infimos, Auson. *Ναὶ καὶ οὒ Πυθαγ.* 5 (XXXI) p. 151 ed. Schenkl: *Alterutro pariter non numquam, saepe seorsis Obsistunt studiis.*

Ceterum etiam multis aliis locis Terentianus adiectiva pro adverbiis libere posuit. Cuius usus nonnulla exempla Werth (de Ter. serm. et aet. p. 322) collegit.

sesquatus.

v. 1577 sesquata fere quod numeros pars secat istos.

Quod vocabulum praeter Terentianum Augustinus adhibuit, mus. I, 10 § 17 *Motus complicati et sesquati,* quae verba in titulo exstant. I, 11 § 18 *sive complicatis sive sesquatis, . . . ita enim sesquati.* IV, 9 § 10 *tantum interest inter sesquatos motus et aequales.*

subditivus.

v. 2221 habetque et ipse subditivum tribrachyn.

Quod vocabulum similiter usurpatur ab Arnobio, adv. nation. V 32 *Sed allegoricis sensibus et subditivis intelleguntur omnia illa secretis.* Sed alia significatione *subditivus* occurrit iam apud Plaut., Cic., Suet.

trilongus.

v. 1401 hic trilongus (scil. pes) tunc sonabit, quando Romanos loquor.

Terentianus solus hoc adiectivo usus est. Illud *tri*, quod usitato more cum substantivis coniungitur, Terentianus contra consuetudinem cum adiectivo composuit. In comparationem

---

[1]) Cf. Neue-Wagener, Formenlehre der lat. Sprache II^{3}. p. 753.

vocandum est adiectivum *tribrevis*, quod legimus apud Diomed. I 479, 1 K; atque etiam vocabula *trigeminus, tripatens, tripartitus, tripedalis,* quae apud Priscianum inveniuntur, similiter composita sunt.

C. Verba affero.

adiacere (Cf. Thes. I 664).

v. 1035 syllabaque adiaceat geminis exorta sonoris,
v. 1320 cum brevis duas habebit adiacentes consonas.

Terentianus hoc verbo insolenter de syllabis usus est. Eodem sensu *adiacere* exstat apud Boeth. herm. pr. 2, 10 p. 130 *quando . . . est, tertium adiacens, praedicatur*; ibid. p. 131 *quoniam est aut iusto adiacebit aut non iusto.*

coartare (Cf. Thes. III 1390).

v. 166 I cum medio nomine sic erit locata,
vocalis ut illam ex latere utroque coartet,
Baiana velut peior, item Troia vel huius.
v. 1512 non versibus istud numero aut pedum coartant.

Coartare hic significationem habet *amplecti, includere.* Quo vocabulo utitur Ps.-Cens. frg. 14, 14 *syllabam coartat hexametro.* Pseudo-Censorini fragmentum quod vocatur Censorini aetate vix posterius i. e. saeculo p. Chr. n. tertio scriptum esse videtur.

praeclûere.

v. 2242 vel qui in vetusta praecluent comoedia.

Praecluent i. q. *praecellunt.* Verbum eandem significationem habet apud Prudent. cath. 4, 37 *Sic olim tua praecluens potestas Inter raucisonos situm leones Inlapsis dapibus virum refovit.* Accedit quod *praeclûere* legimus apud Iul. Val. 1, 34 (p. 45, 9 ed. Kuebler) *praecluatis.* — Adiectivum *praecluis* exstat apud Mart. Capell. I p. 2, 13 (ed. Eyssenhardt) *Liberi praeclues.* I, 10 (p. 11, 14) *Paret praecluibus lubens profatis.* V, 138 (p. 140, 4) *Ita praeclues linguae excellentia floruerant.* IX, 304 (p. 335, 8) *Praecluis eruditionis adserta.*

praelocare.

v. 290 consonans si praelocatur una, quantum differat
v. 501 verum enim nec praelocari sic apud Graios potest.

v. 529 *ἰῶτα* quis si praelocetur, tres videmus voculas,
v. 643 (U) alteri cum praelocatur (nam facit 'vita' et 'valens'),
sordidum quiddam videmur absonumque excludere.

Verbum *praelocare* hic significat „vorn hinstellen". Quo sensu invenitur apud Augustin. de gen. ad litt. VII 17 *exceptis sensibus videndi, audiendi, olfaciendi, gustandi, qui in sola facie praelocati sunt.* Mart. Capell. V 522 *fit autem pessima clausula, si pro trochaeo paenultimo spondeum praelocaveris.*

scandere.

v. 547 scandimus si quando versum quolibet metro datum.
v. 1339 una vis quod syllabarum est, quando binos scandimus.
v. 1753 Scandunt pentametrum, duo sint quasi commata, quidam,
v. 2194 scandendo binos quod pedes coniungimus,
v. 2248 at iste binos scanditur, causam loquar.
v. 2253 scandendo et illic ponere adsuetam moram,
v. 2305 sed quia trochaeos tamquam iambos scandimus,
v. 2404 sed quia iugatos scandimus pedes istos.

Scandere i. q. *ferire* habent grammatici, Diomedes in lib. III et Priscianus in lib. I et II etc. Praeterea verbum eodem sensu adhibetur a Claudiano carm. min. XIII 2 (p. 292 ed. Birt): *Quae tibi cum pedibus ratio? Quid carmina culpas? Scandere qui nescis, versiculos laceras.*

Alicuius autem momenti mihi videtur esse, quod compositum huius verbi *descindere* eodem sensu (= skandieren) invenimus in inscriptione saeculi p. Chr. n. tertii. Quae inscriptio a. 218 p. Chr. n. exarata exstat in actis fratrum arvalium. Verba sunt haec (C. I. L. vol. VI p. I pg. 569 nr. 2104): *ibi sacerdotes clusi, succincti, libellis acceptis, carmen descindentes tripodaverunt in verba haec.* Vertenda sunt verba *carmen descindentes* „indem sie das Lied skandieren" i. e. per suos pedes metiri. Quo modo verba interpretanda esse Th. Birt docuit in Roscher, Ausführliches Lexikon der Griechischen und Römischen Mythologie vol. I (Leipz. a. 1884/90) s. v. Dea dia p. 973: „Die Brüder schürzen die Praetexta, nehmen Textbücher (libelli) in die Hände und stampfen im Dreischritt (tripodaverunt) zu den Worten eines altehrwürdigen

saturnischen Liedes, indem sie das Lied skandieren. (Das wird carmen descindentes heißen; das Wort verhält sich zu scandere wie desaltare, decantare zu ihren Simplicia; scandere aber ist in diesem Sinne aus den Grammatikern bekannt.) Das Tripodieren war eben ein Skandieren; jeder Halbvers mit drei Hebungen war ein tripudium.[1])"

vacare.

v. 204 k perspicuum est littera quod vacare possit,
v. 214 quin hanc (scil. k litteram) etiam grammatici volunt vacare.

Lexica nullum locum afferunt, ubi *vacare* hoc sensu qui est *deesse* legitur. Verbum autem hac significatione praeditum invenimus apud Claud. Mamert. de statu anim. II 1 (p. 100, 12 ed. Engelbrecht): *ut nec falsi lateret defensor nec veri vacaret adsertor*; ibid. I 24 (p. 86, 22): *et ubi vacat illud quod dicitur: Diliges dominum deum tuum.* Sedul. in Paschal. carm. V 196: *Scribitur et titulus: Hic est rex Iudaeorum, Quo nihil a deitate vacet.*

siet.

v. 209 refert nihilum, k prior an q siet an c.

Terentianus hoc loco formam antiquam adhibet, quae usque ad Ciceronis tempora usitata fuit. Confer Cic. orat. 157: *'siet' plenum est, 'sit' imminutum, licet utare utroque.* Post Lucretium autem forma brevior *sit* obtinuit;[2]) neque vero *siet* exstat nisi apud scriptores aetatis multo posterioris, apud Solin. 52, 44 (in codd. Leid. et Paris.) *ut si quando ad discendum plagis siet admonendis.* Symm. epist. 1, 1 *quid facto usus siet.* Prisc. pond. et mens. 135, 168, 178, 200.

---

[1]) Conf. etiam W. Henzen, acta fratrum arvalium (a. 1874) p. 33: „*carmen descindentes* idem mihi probavit esse intellegendum *discindere*, i. e. *κατασχίζειν*, dictum autem esse pro recitando et quasi dividendo carmen ex numero et rhythmo, itaque *descindentes carmen tripodare* idem esse atque *carmen ferire pede.*"

[2]) Conf. Neue-Wagener, Formenlehre der lat. Srache III p. 595. L. Müller, De re metrica[2] p. 513.

D. Adverbia.

Duo tantum huc pertinentia adverbia indagavi.

alternum (Cf. Thes. I 1758).

v. 1293 (Corpus) alternum nutans et neutro pondere sidens.

Itaque Terentianus adverbio usus est. Qui usus invenitur apud Alc. Avit. carm. 1, 95 *ut se alternum* (cod. *β alternus*) *moveat ... gressus.*

† mage.

v. 164 vocalis in istum mage quam versa sit usum.
v. 1483 *ἀντίσπαστον* enim mage lex heroica promet.
v. 2893 mage quo sonus vibretur, studeant dare tribrachym.

Iam apud Plaut., Verg., Prop., Ovid. formam *mage* legimus.[1]) Sed postea *mage* invenitur demum apud Nemes. Cyn. 317 *Hinc mage pumiceas nativo munere sumes.* Solin. 22, 20 *nec quisquam mage patientiae loco nationes ferae ducunt.* Dionys Cat. 2 praef. 2 *Vergilium legito*; *quodsi mage nosse labores.* 2, 6 *Tuta mage est puppis, modico quae flumine fertur.* 4, 42 *Gratior officiis, quo sis mage carior, esto.* Auson. Parenth. 9, 14 (p. 46 Schenkl) *quoque magis solus, hoc mage maestus ego.* Ennod. carm. I 9, 119 (p. 44 ed. Vogel). Prud. contr. Symm. 1, 517 *tristis iudicii mage paenitet ac ditionis.* perist. 3, 9 *sed mage sanguine martyrii.* Avien. arat. 600 *Indignam aeria credunt mage sede fuisse.* Iul. Valer. p. 1, 44 (ed. Kuebler). 2, 4. 2, 6. 2, 7. 2, 9. 2, 22. 3, 12. 3, 38.[2]) Boeth. Philos. cons. 3, 15. Claud. Mamert. epist. poster. p. 204, 7. Itin. Alex. 49 (111) Anthol. Lat. (ed. Riese) 253, 9 *Ut mage flammantes possis laudare sagittas.* 299, 11 *Mage, si posces membra perempta.* 323, 8 *In luxum cupere, sed vendere.* De horum quidem carminum aetate nihil constat. — Anthol. Lat. 649, 16 *Crescenti nummo si mage cura subest?* [3]) Quod carmen est Sulpicii Luperci Servasii iunioris, qui Ausonii tempore vixisse videtur.[4])

---

[1]) De formis *magis* et *mage* egit M. Niedermann-Hermann, Hist. Lautlehre des Lateinischen. Heidelberg a. 1907 p. 55.

[2]) Conf. Christ. Faßbender, De Juli Valeri sermone quaest. select. Monast. a. 1909. p. 15.

[3]) Cf. Neue-Wagener, l. l. II ^{3} p. 524 sq.

[4]) Cf. W. S. Teuffel, Gesch. d. röm. Lit. a. 1890 ^{5} p. 1070 § 421, 8.

E. Unum pronomen inveni.

alter.

v. 122 alter sonus est et nota temporum minori.

Pronomen *alter* hoc loco pro *alius* insolenter positum est. Quem usum praeter Terentianum scriptores ecclesiastici, Lactantius et imprimis Hieronymus habent.[1] Praeterea *alter* pro *alius* reperitur[2] apud Commod. instr. I 12, 6 *Iovis altera moecha* I 30, 2. Apol. 488 sq. 501. 504. 515 sq. 604. Vict. Vit. persec. II 66 *Nam si alterius a patre substantiae est.* Athim. c. 30 *ad virtutem proficit corpori melius quam alter cibus.* c. 49 *altero veneno opus non habet.* Paulin. Petric. vit. Martini 4, 253 *altera pocla decent homines Iordane renatos.* 5, 194 *sed distat numero, par signis, altera donis.* Juvenc. III 616 *Veniet forsan si nobis alter.* Muscio, Gynaec. II 16 p. 76, 17 (Rose) *praeter has enim causas nulla altera inveniri potest quae sterilitatem faciat.*

F. Particulae.

† palam.

v. 405 esse sed longas utrasque litteras primas palam est.

A locutione *palam esse* pendet hic accusativus cum infinitivo quem dicunt. Quem usum invenimus iam apud Plaut. aul. 728. mil. 475. Ter. eunuch. 104 aliisque locis. Plin. n. h. X 193. Tum vero inter scriptores inferioris latinitatis hac coniunctione verborum usus est Iul. Val. 136, 5 *palam fuit dominatores esse priscos reges.* 147, 6 *cum palam sit a caede tui homines . . . haud facile temperaturos.*

quatenus i. q. quomodo.

v. 1863 exemplum ponam, tunc fiat quatenus addam,
nulla meo sedeat turba profana loco.

In v. 687 *quatenus* inservit causae atque idem est quod *qua de causa.* Inspicias velim v. 687 sq.

hanc brevem sed ante nobis pervidendum est syllabam
Una consonans secuta quatenus longam creet.

---

[1]) Conf. Stolz-Schmalz, Lat. Gramm. in J. v. Müller, Hdbch. der klass. Altertumswissenschaft vol. II (a. 1910[4]) p. 629 § 28.

[2]) Conf. Her. Rönsch, Semasiol. Beiträge II Leipz. a. 1888 p. 3.

Quo sensu *quatenus* iam adhibetur a Lucret. II 297[1]). Horat., Ovid., Val. Max., Quint., Plin., Tacit., Suet., Flor., Min. Fel., Tertull., Porphyr., Macrob., Iustin.[2])

Sed in versu 1863 Terentianus *quatenus* significatione modali usurpavit. Qui usus scriptoribus posterioris demum aetatis arrisisse videtur, praecipue autem Lactantio. *Quatenus* i. q. *quomodo* habent Tertull. ad Iud. 4 *Sequitur ut quatenus circumcisionis carnealis abolitio expuncta suis temporibus demonstratur, ita sabbati quoque observatio temporaria fuisse demonstretur.* Lact. inst. I 21, 20 *Isidis sacra sunt quatenus filium parvum perdiderit et invenerit.* IV 27, 11 *si sunt aliqua necessitudine copulati, quatenus eos discernemus? aut quomodo utriusque generis honorem cultumque miscebimus?* IV 27, 1. IV 30, 3. V 22, 15. VII 6, 7. VII 14, 1. VII 14, 2. VII 17, 1. VII 24, 10. opif. 6, 4. epit. 63, 3. 70, 16. mort. pers. 1, 7. 26, 6. Hilar. psal. 53, 2. 56, 4. 63, 5. 68, 12. 123, 1. 126, 5. 136, 13. Firm. Matern. prof. rel. 7, 1 *quod quatenus factum sit perstringam.* 12, 6. 13, 5. Matth. 2, 17, 8. 4, 12, 9. 6, 32, 8. Donat. comm. in Andr. II, 1, 2. in Eunuch. V, 3, 1. Sid. Apoll. epist. 14 § 1 *Dum mecum reputo, quatenus in votis tuis philosophi fescennina cantarem.* Cassiod. hist. Arip. 6, 30.

Sed probare nequeo id quod Alfr. Werth, De Ter. sermone et aet. p. 308 affirmat his verbis: „Sed hanc notionem (scil. quatenus i. q. quomodo) iam Sextus Pomponius iuris consultus, qui sub Hadriano et Antonino Pio floruit, habet". Nusquam enim *quatenus* pro *quomodo* apud Sextum Pomponium legimus, sed hic iuris consultus tantummodo *hactenus* pro *hoc modo* posuit. Confer W. Kalb, Roms Juristen, Leipz. a. 1890 p. 63: „*Scio quosdam* ~ *hactenus scribere solitos: Stichus* ~ *liber esto*; ein Gebrauch, welcher anderweitig nicht belegt ist, jedoch am späten quatenus = wie (z. B. Ulp. op. XI 8, 5, 1. 27, 9, 9.[3]) Wölfflin, Archiv V, 407) eine Analogie hat". Werth igitur hac in re erravisse videtur.

---

[1]) Cf. Bücheler, Mus. Rhen. vol. XXXVIII p. 508.

[2]) Cf. Ed. Wölfflin, Archiv f. lat. Lexikogr. V (a. 1888) p. 406. Rönsch, Itala und Vulgata p. 401. Schmalz in I. v. Müller, Hdbch. d. klass. Altert. II (1910[4]) p. 580 § 345.

[3]) Ulp. op. XI 8, 5, 1 *Sed si religiosus locus iam factus sit, ponti-*

vel i. q. an.

v. 690 ante quod nobis liquere non potest, si non prius,
consonans quae prima in ista syllaba cui scribitur
C magis vel Q notari debeat, dispexeris;
v. 694 sic enim constare poterit, e duabus quae magis
nunc locum vocalis habeat, U prior vel I sequens.

Terentianus his locis *vel* pro *an* insolenter posuit. Qui usus non nisi in inferiore latinitate invenitur Krebsio teste.[1]) Werth [2]) Krebsium recte iudicavisse negat, sed argumentum non habet.

† vel i. q. et.

v. 186 B littera vel P quasi syllabae videntur.
v. 576 at iubam pes ut paretur, sit vel alter ac vigor.
v. 820 nactus ut dicas vel aptus, sanctus aut Neptunius.

Hic *vel* adeo vim copulandi habet, quod semel quantum video legitur apud Verg. Aen. VI 769 *Silvius Aeneas pietate vel armis egregius.* Praeterea particula hoc sensu non exstat nisi apud scriptores posterioris aetatis,[3]) apud Sedul. c. III 303 *Hunc, precor, expulso miseratus utrumque furore Redde mihi vel redde sibi, ne caeca potestas.* c. IV 305 *cui palmis compta vel umquam Frondibus arboreis laudem caelestibus ymnis Obvia turba dedit.* c. V 427 *Iure suo, qui cuncta tenens excelsa vel ima,* aliisque locis. Commod. carm. apol. 59 *quid ... vel qualiter.* 90 *qui sit vel cuius nomine adsit.* Sidon. Apoll. ep. IV 20 *illum equus quidem phaleris comptus, immo equi radiantibus gemmis onusti antecedebant vel etiam subsequebantur.* Paul. Petric. I 20 *praeceptum servare dei vel nosse voluntas.* I 113 *quae dedimus vel qui dedimus, donumque datorque.* I 248, 305. II 12, 212, 648. III 32, 211, 221, 324. IV 247, 602, 620, 623. V 204, 459, 629, 733. VI 256, 270, 369, 452. prol. carm. min. 2. De visit. nepot. 3, 80

---

fices explorare debent, quatenus religione desiderio reficiendi operis medendum sit; ibid. 27, 9, 9 *aestimabit, quatenus tam callidum comentum etiam in exemplum coercere debeat.*

[1]) Cf. Krebs-Schmalz, Antibarbarus der lat. Sprache, ed. VI s. v. *vel.*

[2]) De Ter. serm. et aet. p. 354.

[3]) Cf. Her. Rönsch, Semasilog. Beiträge II (a. 1888) p. 85 sq.

(Cf. indicem a Michaelo Petschenig factum in C. S. Eccl. Lat. vol. XVI). Claud. Mar. Vict. I 2. Claudian. bell. Got. 131 *Pectra Fabricii donis invicta vel armis.* Cassiodor. var. (ed. Mommsen) p. 49, 14. p. 84, 18. 87. 6. 92, 16. 93, 2. 95, 16. 97, 8. a. l.

† **vel — vel i. q. et — et.**

v. 2240 . . . nam fere Graecis tenax
cura est iambi vel novellis comicis
vel qui in vetusta praecluent comoedia.

Qua de significatione audias, quae Stolz-Schmalz, Lat. Grammatik in J. v. Müller, Hdbch. d. klass. Altertumswiss. II, 2 (a. 1910[4]) p. 502 § 260 profert: „Das korrespondierende vel — vel ist in der klassischen Sprache wie bei Liv. oft gebraucht, aber dabei streng von et — et geschieden; dagegen läßt sich nicht verkennen, daß an einigen Stellen bei Plautus, vereinzelt auch bei den August. Dichtern, vereinzelt z. B. Prop. II 8, 39 vel — vel = sowohl — als auch ist, und daß in der späten Latinität, so namentlich auch im afrikanischen Latein, wo vel und et durcheinander gehen, vel — vel vollständig die abgeschwächte Bedeutung von et — et angenommen hat, ja bei Cyprian findet sich sogar die Korresponsion vel — et."

vel — vel pro *et — et* posuerunt Cyprian. 677, 10 (ed. Hartel) *Sed dum istic Felicianus frater noster vel vento retardatur vel accipiendis aliis epistulis a nobis detinetur.* Sulp. Sev. Chron. I 45, 4. 53, 4. vit. Mart. I, 7. Commod. carm. apol. 30 (cf. Roensch, Semasiologische Beiträge II (a. 1888) p. 85). Cassian. J. IV 24, 2 *vel mentis eius vel subiectionis integritas.* 30, 2 *pro reverentia vel vitae suae vel aetatis vel sacerdotii.* V, 41 t. 31. 33. VI 4, 19. VII 30. X 18. XII 4, 3. 8, 3 praef. ad Conl. p. I § 6. I 22, 2. II 13, 11. IV 6, 1. V 6, 6. 22. VI 1, 2. 3, 4. VIII 25, 4. 6. VIII 6, 1. 29, 3. X 2, 1. 3, 1. 3, 4. VIII, 25, 4. 6. IX 6, 1. 29, 3. X 2, 1. 3, 1. 4. 10, 1. XIII 11, 4. 18, 1. XV 10, 1. XVI, 1. XVII, 5. XVIII 5, 2. 11, 3. XXI 1, 1 (Cf. indicem a Michaelo Petschenig factum in C. S. E. L. vol. XVII). Paul. Petric. III 21 *vel servare piam domini vel pascere plebem.* IV 501 *corripiens celeri vel prona vel ardua saltu.* IV 585 sq. *scortorum sceleri vel iusto foedere nuptis Coniugibus vel*

virginibus. V 509 *conectis geminos vel nube vel igne trimuphos.* Cassiod. var. (ed. Mommsen) p. 13, 3. 52, 2.

G. De Praepositione ex.

v. 2476 Longa nam fit tertia
consonante ex altera.

Praepositio *ex* c. abl. hoc loco significat causam atque pro nudo ablativo a Terentiano posita est. Quod iam antea invenitur, imprimis autem cum verbo *commoveri* coniunctum. Apuleius, Florus, Gellius sic praepositionem *ex* usurpaverunt. At vero *ex* cum verbo *fieri* coniunctum invenitur tantummodo apud Lactant. I 9, 6 *ex quo fit ut*, III 19, 16 aliisque locis.[1])

Haec hactenus. Quoniam vero in proximis Lactantii mentionem feci, observatiunculam intertexam quae minus sermonem quam rem spectat. Dico quae leguntur in v. 236 sq.

quartae (scil. N litterae) sonitus fingitur usque sub palato,
quo spiritus anceps coeat naris et oris.

Quod Terentianus in pronuntiatione *n* litterae coire spiritum naris et oris dixit, mirum non est, si Lactantii verba in comparationem vocamus, quae in opusculo de opif. dei c. 10 exstant. Verba autem sunt haec: (naso) *tria sunt officia constituta. Unum ducendi spiritus, alterum capiendi odoris, tertium ut per eius cavernas purgamenta cerebri defluant.*

Vidimus igitur Terentianum Maurum non parvum numerum verborum, quae plane scriptorum posterioris aetatis propria sunt, communem habere nec non interdum vocabula sensu insolentiore adhibuisse, quo in inferiore latinitate inveniuntur. Quae verba si quis sine ira et studio contemplatur, fieri non potest, ut scriptorem saeculo p. Chr. n. altero scripsisse censeat.

---

[1]) Cf. E. Draeger, Histor. Syntax der lat. Sprache, ed. II p. 638.

Caput VI.

De re prosodiaca.

Etiam mensura syllabarum, qua Terentianus interdum usus est, impedimur, quominus scriptorem saeculo secundo vixisse putemus. Inveniuntur enim nonnullae licentiae prosodiacae in Terentiani versibus, quae nisi in operibus scriptorum posterioris aetatis non exstant. Qua ex re concludendum est non magnum temporis spatium inter Terentianum et hos scriptores intercedere.

Primum de ***an*** particulae mensura disserendum est. Quam particulam Terentianus produxit his in versibus:

316 opera nobis haec inanis an in usum impensa sit.
728 namque equos vel aequos, aequor an aquam cum scribimus,
733 sicut illic, cum querela et aequor an aquam notas,
793 huius an huic solemus nam frequenter dicere[1]:

Sic hos versus in editione Mediolanensi scriptos legimus; sed editores propter mensuram particulae *an* mutaverunt atque in v. 316 *anne,* in vv. 728, 733, 793 *aut* posuerunt. Quibus assentiri non possum, primum quod causam omnino non video immutandi; immo haec exempla invicem defendunt deestque omnis species veri, ubi tot exempla emendamus; tum quod hic usus consuetudine posterioris aetatis defenditur. Nempe non modo apud Terentianum *an* particula producta legitur, sed etiam apud Juvenc. II 515 *an aliam superest post haec sperare salutem*. III 326 *an istic tantae spectacula cernere molis Conveniat.* IV 528 *an ego non possum caelestia castra vocare.* Prosp. de ingrat. 101.[2]) Ceterum in v. illo 793 etiam ad *h* litteram productio referri potest (supra p. 17).

In ***cui*** dativo pronominis, quem poetae Augusti aetatis non nisi una syllaba pronuntiare solebant, Terentianus

[1]) Conf. Werth, De Ter. serm. et aet. pag. 354.
[2]) Cf. Thes. II 1.

synhizesin vitavit atque huic dativo iambicam mensuram attribuit in v. 1533:

is primus erit, longa cui locata prima est.

Inde a saeculo p. Chr. n. tertio poetae *cui* interdum vice iambi posuerunt teste Muellero.[1]) Nam *cui* producta posteriore syllaba invenitur apud Auson. XXIII, 6 (p. 120 ed. Schenkl) *credemus gremio cui fovendum.* E. XVI 2, 59 (p. 176) *cŭīquĕ vĭgĭles luminum.*[2]) Claud. Mar. Vict. II 158 *inde, cui proprior decor est et vena secunda.* III 320 *fons et origo cui Sem clarum praestitit ortum.* Mart. Capell. 342, 4 *salve, nostra cui perficitur chelys.*[3]) Venant. Fort. I 16, 29 *hoc si cui sit debitum.* I 16, 58 *cui redit felicitas.* VIII 3, 98 *ipsa cui genetrix non nisi virgo placet.* Paulinus Nolanus quoque dativum *cui* iambica mensura posuit.[4])

Accedit aliud. Scriptor enim dativum ***cuique*** pronominis distraxit in v. 183:

verum ut cuique est proximitas vocis sonore,

ubi *cuique* trium syllabarum brevium est. Haec autem mensura apud nullum alium poetam legitur quantum video. At vero distracti huius pronominis duo exempla, in quibus prima syllaba producta est (— ◡ ◡), inveniuntur apud Prudentium in Hamartig. v. 105 *adsignare deos proprios, sua cūĭque iura* et c. Symm. II, 89 *imus ad occultum: Suus est mos cūĭque genti.*[5])

Tum particularum, ***deinde, dein, deinceps*** prosodia notatu digna est. Terentianus enim dipthongum ei quam continent in binas vocales dissolvit in

v. 195 C pressius urget: dein hinc et hinc remittit.
v. 669 U dein si consequatur, syllaba una non erit.
v. 1361 ante enim breve est creatum, redditum longum dein.

---

[1]) De re metr. [2] p. 318.

[2]) Cf. Neue-Wagener, Formenlehre der lat. Sprache II[3] p. 454 sq.

[3]) Cf. Albr. Sundermeyer, De re metrica et rhythmica Martiani Capellae, Marbg. a. 1910, p. 3.

[4]) Cf. A. Huemer, De Pontii Meropii Paulini re metrica, Lips. a. 1903 p. 6.

[5]) Cf. Neue-Wagener, Lat. Formenlehre II[3] p. 497.

v. 1411 cum brevem primam locabis et duas longas dein.
v. 1478 cum prima brevis, longa dein, tertia longa.
v. 2153 admiscere, dein quater addere dactylon.
v. 2978 dein dimetrum collocat commaque dactylicum.
v. 430 ε, deinde *ἰῶτα*, graeca quod diphthongos *ει* sonat.
v. 708 qui facit, quorum deinde, mox quibus, quos, a quibus.
v. 861 namque B, C, G, deinde P, priores ponere.
v. 1503 at qui brevibus praepositis deinde longas.
v. 1601 post huic deinde quanta compages novos.
v. 207 quascumque deinceps libeat iugare voces.[1])

Hae particulae diductis syllabis temporibus antiquis non exstant neque in aurea quae vocatur latinitate; inveniuntur tantummodo particulae *proin* et *dehinc* distractis syllabis, velut apud Vergil. Catal. c. IIa, 16. Georg. 3, 167.[2])

Dihaeresi autem in particulis *dein, deinde, deinceps* praeter Terentianum non nisi scriptores posterioris aetatis usi sunt: Opt. Porf. carm. 26, 15 *sic dĕinde.* Prud. ditt. I, 1 *Eva columba fuit tunc candida, nigra dĕinde.* Paul. Nol. carm. 27, 45 *utque dĕinde.* Sidon. Apoll. carm. 9, 272 *dĕinde casu.* Cypr. Gall. exod. 336 *haec dĕinde metu regis poscente necantur.* 428 *Pauleum dĕinde petunt cui Magdala tellus.* Symm. anth. 934, 14 *regit dĕinde.* Confer etiam Commod. apol. 248 *penderet in ligno, fieret deserta deinde*; instr. 1, 29, 5 *te qui nescientem protulit deinde nutrivit.*[3])

Dehinc transeamus ad aliud, quod memoria dignum videtur. Agendum autem est de verbo *ἰῶτα*, cuius I litteram Terentianus pro consonante posuit his in versibus:

---

[1]) Cf. Werth, De Ter. metr. et eloc. p. 22.

[2]) Cf. Th. Birt, Jugendverse und Heimatpoesie Vergils, Erklärung des Catalepton, Leipz. 1910 p. 35 adn. C. IIa, 16: „Bemerkenswerter ist das zweisilbige proin. Derartige Wörter vermeiden sonst die vorsichtigeren Dichter oder sie erzwingen Synhizese, so in deinde, dein . . . Doch läßt sich das dreisilbige proinde bei Seneca Phoen. 458 vergleichen . . .; übrigens zweisilbiges dehinc Georg III, 167; Aen. 3, 464; 5, 722. Hiervon handeln Lachmann Lukr. S. 148. L. Müller S. 317; aber sie ignorieren dabei unsere Stelle."

[3]) Cf. Thes. V, 406 et Ferdii Handii Tursellinum s. v. *deinde.*

337 I similiter *ἰῶτα* credi et C potest quod *σίγμα* sit.
359 *ἄλφα* primum est, inde *ἰῶτα,* tertium quod v vocant.
368 *ἄλφα* nos A nominamus, *ἰῶτα* sic I dicimus.
421 *ἰῶτα* subiungi necesse est, alteram vel v dari.
433 *ἰῶτα* solum quod videmus saepe produci vel I.
444 scribimus si quando *νῖκος, ἰῶτα* solum sufficit.
500 Dicimus rarum esse Graecis *ἰῶτα* post v subdere.[1]
503 litterae nam nomen ipsum, *ἰῶτα* quod Graius vocat.
508 *οὗτος ἰῶτα γράφει* versus si principium sit.
510 prima vocalis, notari *ἰῶτα* qua Graium incipit.
529 *ἰῶτα* quis si praelocetur, tres videmus voculas.[2]

Terentianus Graecam I vocalem brevem in initio vocabuli consonam fieri dicit in v. 501 sqq.

Diximus rarum esse Graecis *ἰῶτα* post v subdere:
Verum enim nec praelocari sic apud Graecos potest,
edat ut diphthongon unam de duabus voculis.
litterae nam nomen ipsum, *ἰῶτα* quod Graius vocat,
siquis in metro locabit, syllabae ut fiant duae,
non potest diphthongos esse, *ιω* duabus litteris,
consonans prior locata quia fit et Graios apud.

Scriptor igitur *ἰῶτα* duabus syllabis legendum esse iubet ipse. Sed huius usus certa quaedam exempla posteriore tantum aetate inveniuntur.[3] *Ἰῶτα* enim duarum syllabarum est apud Auson. technop. XII, 7 *littera sum iotae similis, vox plena iubens.*

Eodem modo ‘iambus’ vocabulum duabus syllabis legendum est in Sulpiciae saturae quae fertur versu 5: *nec trimetro iambo nec qui pede fractus eodem.* Quamquam aetas huius saturae certa non est, tamen eam serioris aetatis esse inter omnes constat.[4] Fuerunt quoque viri docti, qui Sulpiciae saturam saeculo decimo quinto p. Chr. n. compositam esse censerent.

---

[1]) De eiusmodi pleonasmis qui vocantur confer Werth, De Ter. metr. et eloc. p. 39 sq.

[2]) Cf. Werth, De Ter. metr. et eloc. p. 23.

[3]) Cf. L. Müller, de re metrica^2 p. 306.

[4]) Cf. W. S. Teuffel, Gesch. der röm. Lit. II. (1910^6) p. 323 § 323, 6—7.

Sed cum argumenta ad aetatem huius carminis definiendam infirma sint, fortasse haec de qua agimus mensura alicuius momenti est, quae sententiam eorum, qui hoc carmen saeculo p. Chr. n. quarto attribuunt, confirmet.

Iam vero ad particulam ***quia*** nos convertamus, quae multis locis in Terentiani libris invenitur. Sed semper *quia,* nisi quid me fugit, apud eum pro una syllaba accipiendum est et monosyllabi producti temporis loco fungitur[1]) velut in vv.

52 quia iam dicere grandia
206 quia qui locus est, primitus unde exoritur C
215 quia non adicit litterulis novum sonorem.

Eadem mensura particula *quia* posita est a Venant. Fort. miscell. II 15, 8 *filius ut dicant quiast creatura dei.*[2]) Praeterea eandem in parte codicum odarum Horatii inveniri me monet Birtius. Agitur autem de l. I od. 12 v. 30:

et minax, quod sic voluere, ponto
unda recumbit.

Legimus enim in codd. D_2 et Porphyrionis codd. U M pro *quod* particulam *quia*, quae nimirum una syllaba pronuntianda est (cf. A. Horat. Flacci op. vol. I ed. Keller-Holder a. 1909² pag. 36). Pomponio igitur Porphyrioni iam duae lectiones *quia* et *quod* notae erant. Porphyrionem autem scholiastam ineunte saeculo tertio fuisse scimus.[3])

Denique adnotetur quod legimus in v. 960: *nam* ***nisi*** *vocalis adsit, vertit hanc in simplicem.* Quo in versu I finalis vocabuli *nisi* producta est et ictum habet. Et re vera Terentianum particulam „nisi“ hic iambica mensura usurpavisse contendo, qua etiam apud poetas antiquos scaenicos legitur[4]). Editores

---

[1]) Ter vocales elisae sunt in vv. 1090, 2152, 2393. Conf. Werth, De Ter. metr. et eloc. p. 17 sq.

[2]) Conf. L. Müller, l. c. p. 323.

[3]) Conf. M. Schanz, Gesch. d. Röm. Lit. in I. v. M. Hdbch. VIII³ (a. 1905²) p. 177 sq.

[4]) Conf. L. Mueller, l. l. pg. 409 sqq.; Klotz, Grundz. altr. Metr. Lips. a. 1890 pag. 51 sq.

autem, quippe qui Terentianum versum hoc modo pepigisse non putarent, mutaverunt, Lachmann addito *et* post *nisi*, Werth *namque ni* scribens.[1]) Quod probare non possumus, neque enim nostrum est coniecturas facere; sed quod in editione Mediolanensi legitur, in textum recipiendum est. Haec enim mensura plane posterioris aetatis indicium est. Qui scilicet poetarum scaenicorum antiquissimorum usus non nisi apud poetas recentiores rursus emergit. Produxerunt particulam *nisi* Paulinus Nol.[2]) Carm. XXIV 277 *metire, quaeso, quis nisi Christus suo*; Carm. XXVIII 320 *sponte nisi fugimus; moriamur, ne moriamur*; Orient. II 308 *et vox nulla, nisi quam dederit gemitus*; Paulinus Pellaeus 361 *ipse nisi mecum mox susciperetur in urbe.*

Ceterum conferenda sunt hac de re, quae L. Mueller[3]) exposuit dicens haec: „Iam hoc memorandum auctores christianos relapsos ut plerumque, ad imitationem antiquissimorum ex vocibus, quae breviari solent extra scaenam, in a, o, i exeuntes ambigua rursus adhibuisse quantitate“.

Haec hactenus. Restat nunc, ut de ***nonnullorum verborum mensuris*** illegitimis disseram. Terentianus enim longas vocales corripuit his in versibus:

410 tempore instanti quod *αὐδᾷ, ηὔδᾰ* infecto facit.
430 *ε,* deinde *ἰῶτα,* graeca quod dĭphthongos *ει* sonat.
475 pes tamen non est trochaeus, quia dĭphthongos extima est
1386 *χορεῐος* idem nuncupatur a magistris plurimis
1473 *δισπόνδεῐος* hic dicitur: ecce nomine ipso
1532 et paeŏnĭci nominis ambo sunt quaterni
1546 et *ἐπίτριτος* aeque genus est paeŏnĭcorum.
1549 cum paeŏnĭci possideant quina priores.
1575 impar numerus paeŏnĭcis utrisque coget.
1609 suam tuetur hexametris herŏum
1647 quas, acta Homerus herŏum cum scriberet

1) Conf. Alfr. Werth, de Ter. metr. et eloc. p. 24.

2) Conf. Adalb. Huemer, de Pontii Meropii Paulini re metrica, Vindob. et Lips. a. 1903 p. 6.

3) De re metrica^2 pag. 411 sq.

1929 quemque mĭuron Achaica gens vocitare solita est.
2768 versus ergo magistri vocant hos prĭăpeos
2812 versum non dubium est fore quem dicunt prĭăpeum.[1])

Etiam ex his tot dipthongorum et longarum vocalium correptionibus apparet Terentianum poetarum christianorum aequalem fuisse neque vero iam saeculo secundo scripsisse libros suos. Corripiuntur autem dipthongi vel longae vocales a Prudentio, C. VI 142 *qui mille per Mĕandros* (poetae classici qui vocantur velut Vergilius Aen. 5, 251 aut Ovidius met. II 246. VIII 162. IX 451 semper *Māeandros* scripserunt); C. VII 93 *dextram perarmat romphĕali incendio*; A. 331 *legis in effigie scriptum per ĕnigmata Christum*; Ps. 358 *ut mĭtra caesariem cohibens aurata virilem*; S. II 247 *quae viridis Lacedaemŏn habet maculosaque Syma* [2]); ab Avieno III 1217 (orb. terr.) *Haec cum Pandĭŏnis letum componeret aulae;* VI 652 (or. marit.) *Epicurĕōrum; non ⟨cum⟩ occasu premi;* III 714 *Tumque Chĭus patulae prospectans arva Pelinae;* II 1180 (Arat.) *Cum sacrata Chĭi nemora ot frondentia late*; a Mart. Capella II 124 (pag. 35, 12 ed. Eyssenhardt) *nam Sabăeornm rapidis quid vapor edat aris;* a Sidonio Apollin. C. IX 54 *et primum Dărĭi tumultuantes;* epist. IX 13, 2 v. 9 *dum metro quatitur chorda Glyconĭo*; ibid. v. 10 *nec non Alcaico vel Pherecratĭo.*[3]) Sed satis haec de dipthongorum longarumque vocalium correptionibus.

Caput VII.
De re metrica.

Cum libri Terentiani multos versus variis metris conflatos contineant, rationes metricas quoque, quae in illis adhibitae sunt, alicuius momenti esse ad scriptoris aetatem definiendam facile suspicamur. Habes enim versus Glyconeos, Sotadeos, tetrametros troch. catal., hexametros dactylicos, proceleusmaticos tetr. catal., Archilochios maiores, senarios iambicos, hexametros

---

[1]) Cf. Werth, De Ter. metr. et eloc. p. 25 sq.

[2]) Multa Prudentii exempla congessit F. Krenkel, de Aurelii Prudentii Clementis re metrica, Rudolstadii a. 1884.

[3]) Conf. L. Mueller, de re metrica² p. 288.

subiuncto pentametro, dimetros anapaesticos catal., paroemiacos et ithyphallicos, trimetros anapaesticos catal., pentametros dactylicos, elegiacos, tetrametros choriambicos, archebulios, hexametros miuros, hendecasyllabos Phalaecios, tetrametros dactylicos catal. in duas syllabas quarum syllaba paenultima correpta est, tetrametros ionicos a minore, trimetros ionicos a minore, pentametros ionic. a minore, tetrametros dactylicos, pentametros aeolicos, adonios, octonarios iambicos, septenarios iamb., trimetros iamb. Hipponacteos, trimetros iamb. acephalos, trimetros iamb. catal., dimetros iamb. acatal., trimetros iamb. subiectis dimetris iamb., dimetros iamb. acephal., dimetros iamb. catal., trimetros iamb. catal. subiectis dimetris acephal., saturnios, dimetros choriambicos vel choriambos cum Bacchio qui vocatur *Ἀρχιλόχειον* vel *Ἀριστοφάνειον*, hexametros dact. subiecto senario iambico, Asclepiadeos minores, Asclepiadeos maiores, Priapeos, Pherecrateos, Anacreonteos, Galliambicos, hexametros subiunctis dimetris iamb. acatal., elegiambos, iambelegos.

De legibus metricis, quibus Terentianus usus est, Werthius in programmate „De Terentiani metris et elocutione“ diligenter disseruit atque singula metra tractavit. Sed idem vir doctus artem metricam ad circumscribendam Terentiani aetatem nihil valere contendit.[1]) Cui opinioni assentiri non possum; immo equidem ratione quoque metrica, quam in versibus pangendis scriptor interdum adhibuit, adducor, ut Terentianum saeculo secundo scripsisse negem. Itaque enumerantur hoc capite licentiae inferioris latinitatis propriae, quas in Terentiani opere invenimus.

De hexametri caesuris.

Agendum est de hexametri caesuris, quas Terentianus in versibus 1669—1718 pertractavit. Scriptor enim quattuor caesuras, quae sunt semiquinaria, semiseptenaria, tertia trochaica, quarta trochaica enumerat describitque. Sed semiquinariae et semiseptenariae solis vim caesurarum tribuit, reliquas nihil valere vult. Ex eis, quae Terentianus de hexametri caesuris profert, elucet eum operam dedisse, ut praecepta graecorum

---

[1]) De Ter. metr. et eloc. p. 27.

grammaticorum ad graecum versum pertinentia accommodaret ad hexametrum latinum. Nam apud poetas Romanos tertia et quarta trochaica nullius fere momenti sunt.[1]) Sequitur igitur, ut Terentianus praecepta ex graecorum metricorum libris descripserit. Sed cum quattuor caesurae apud nullum scriptorem prioris aetatis enumerentur atque scriptorum rei metricae primus Aristides Quintilianus quattuor caesuras commemoret,[2]) Terentianum quoque non ante saeculum tertium fuisse verisimile est. Nam Aristidem tertio saeculo scripsisse aliis e causis apparet.[3]) Varro enim de caesura semiquinaria sola verba fecit, quod ex Gellii n. Att. lib. XVIII 15 intellegitur. Verba sunt haec: *etiam Varro in libris disciplinarum scripsit observasse sese in versu hexametro, quod omnimodo quintus semipes verbum finiret, et quod priores quinque semipedes aeque magnam vim haberent in efficiendo versu atque alii posteriores septem, idque ipsum ratione geometrica fieri disserit.* Postea quattuor caesurae hexametri commemorantur a Dracone p. 126, a Victorino I 19, 10, a Diomede p. 497, a Prisciano II 460, ab Ausonio praef. cent. nupt.

Hoc argumentum, etiamsi summae gravitatis esse non contendo, tacere tamen nolui.

De hexametri exitu.

Terentianus, quamquam in hexametris pangendis metri legibus satisfecit, tamen in hexametrorum fine neglegentem se praebet. Neque enim raro in exeunte versu vox monosyllaba legitur, quae ratio metrica semper displicebat. Sedecies vocem monosyllabam in vv. 999—1299 scriptor posuit. Qui usus raro exstat neque invenitur nisi apud scriptores christianos libris poetarum antiquorum et satiricorum[4]) exceptis. Plura autem

---

[1]) Conf. L. Müller, l. c. pag. 209 sqq.

[2]) Conf. W. Christ, Metrik der Griechen und Römer, Lips. a. 1879² pag. 173.

[3]) Conf. W. Christ, Gesch. d. Griech. Lit. a. 1905⁴ pag. 800.

[4]) Confer quae Eskuche, qui Terentianum saeculo tertio attribuit, profert in disputatiuncula „Die Elisionen am Schluß des latein. Hexameters“, Mus. Rhen. vol. XLV p. 247 sq. inserta: „Die Vermutung . . ., daß eine gewisse Nachlässigkeit im Metrum zum Wesen der röm. Satire gehöre, findet demnach auch hierin eine Stütze.“

de hac re invenimus apud Manitium in Mus. Rhen. vol. XLVI p. 622: „Man ersieht aus obiger Zusammenstellung, daß die monosyllabischen Ausgänge mit der Zeit immer mehr abnehmen, jedoch mit Ausnahme der satirischen Dichtung. Erst als die christliche Poesie stärker einsetzt, nimmt ihre Zahl wieder zu. Es scheint, daß die christlichen Dichter durch ein gewisses archaisierendes Moment, welches sich auch sonst erkennen läßt, dazu bewogen wurden, jene der früheren Epik geläufigen Ausgänge anzuwenden".

Terentianus igitur hac in ratione metrica cum poetis christianis consentit, qui omnino non elegantiam poetarum Augusti aetatis adaequant neque ita raro in versu exeunte posuerunt vocem monosyllabam.

De senario iambico.

Scriptor caesuram plane neglexit his in versibus:

1716 et D sequens longam priorem perficit,
2243 Aristophanis ingens micat sollertia,
2268 sed simplici carmen per omne evectus est.[1]

Diligenter versus hi pacti non sunt, immo Terentianus vituperandus, qui versus pessimos conflaverit. Minus peccavit in his qui veniam habent:

2247 heroicus quare pedes per singulos,
2288 sic creticum siquis velit disiungere.

Quae L. Müller exposuit,[2] hic habeas: „illud autem non modo inelegans, sed falsum, spondiaco verbo tertium pedem teneri, quoniam ita plane non licet quarta thesi abstrahi syllabam praecedentem si erit hephthemimeris. at si post finitum tertium pedem erit incidendum, vides spondiacum haberi caesurae rhythmum, qui pariter et a trochaico et ab iambico longest alienus numero".

Praeter Terentianum nullus scriptor tales senarios pessimos scripsit nisi Prudentius, quocum Terentianus alia quoque communia habet. Legimus hos versus:

---

[1]) Conf. Werth, l. l. p. 10.
[2]) De re metrica[2] p. 261.

perist. X 809 *languetis inbelli fame ac fatiscitis.*
842 *manusque tendebat sub ictum vulneris.*

Ceterum quod legitur in Vergilii carmine (Catal. XIII 25)

Stant in vadis caeno retentae sordido,

recte non habet. Neque enim unquam Vergilius ita versum pepigit; itaque Birtius, vir doctissimus, optimo iure mea quidem sententia quod traditum est mutavit et *caenoque tentae* scripsit.[1])

De thesi soluta.

Ut in versibus iambicis, ita in tetrametris trochaicis catalecticis Terentianus thesin[2]) interdum in binas syllabas breves dissolvit atque hac in re syllabam vocis paenultimam ictu acuit. Inveniuntur autem haec exempla[3]) in trimetris iambicis:

v. 2243 Aristophănĭs ingens micat sollertia,[4])
v. 2956 gemĭnŭs ut iste versus ostendet tibi,

in tetrametris trochaicis catalecticis:

v. 389 quae pedĭbŭs aeque ministrant bina et ipsae tempora.
v. 477 *αὐέρῠσᾰν* inquit poeta, sic et *αὐτάρ* corripit:
v. 481 AU tamen capĕrĕ videtur saepe productum sonum,
v. 645 Aeolĭcă gens tunc digammon denique illam scriptitat,
v. 648 Aeolĭcŭs usus ⟨ita⟩ vertit, et digammon praeficit:
v. 649 Aeolĭcă dialectos autem mixta ferme est Italae.
v. 656 et viŏlă flos nuncupatur, quem Graeci vocant *ἴον*:
v. 668 nam medĭă post consonantem cum datur vocalis I,
v. 741 et merĭtŏ tunc Q locamus exigente syllaba:
v. 866 Tlepolĕmŭs Atlas solemus invenire in versibus.
v. 2366 Demophĭlĕ, beatus ille qui procul negotiis.

Etiam in versu choriambico unum exemplum huius modi habemus in v. 1903:

tibi, similis nec minus altĕră pede consequenti.

---

[1]) Conf. Th. Birt, Erklärung des Catalepton p. 156 sq.

[2]) thesin dico pedis partem accentu elatam.

[3]) Conf. Werth, de Ter. metr. et eloc. p. 13.

[4]) Confer etiam W. Meyer, Über die Beobachtung des Wortakzents in der latein. Sprache, Abhdlgen der Kgl. Bayrisch. Akad. der Wiss. vol. XVII a. 1886 p. 115, qui Terentianum saeculo tertio adscribit.

Sed apud Romanos paene inauditum est verbi tribrevis mediam syllabam vel vocabulorum tribracho finitorum paenultimam syllabam acuere. Neque scaenici neque prioris aetatis poetae binas ternarum brevium syllabarum ultimas pro thesi posuerunt. At vero posterioris aetatis scriptores normam illam violaverunt et hanc licentiam sibi sumpserunt. Sic legimus apud Avien. (or. mar.): [1])

v. 368 *ăgĕrĕ carinam, eximere classi pondera*
v. 553 *pŏpŭlŭs agebat inter avios locos;*
v. 606 *căpĭtă iugorum, rursum harenosi soli*
v. 628 *Lĭgŭrĕs ad undam semel Interni maris*
v. 701 *Sălўĕs atroces, oppidum [priscum ra] Mastrabalae*
v. 303 *A[t] continente[m] quinque per stadia modo.*

apud Prudent.[2]) perist. X 675:

gĕnĕră deorum multa nec pueri putant.

apud Martian. Capell. (ed. Eyssenhardt)[3]):

p. 137,3 *Fies profecto decĭpŭlă, si astruxeris*
p. 193,15 *dĭdĭtăque fient quae vetustas praeterit*
p. 256,1 *lĭlĭăque det papillae*
p. 374,11 *Sătŭră, Pelasgos dum docere nititur.*

Itaque mihi persuaderi non potest Terentianum saeculo secundo scripsisse, neque vero inter eum et hos scriptores magnum spatium temporis intercedere credo.

De elisione.

His expositis de elisione agamus. Etiam hac in re Terentianus neglegentiorem se praebet eo quod vocalem longam ante vocalem longam praecedente tertia vocali elisit in v. 1879: *bacchio adversus fiet pes, nam brevis ante est* (scil. *et geminae longae*).

Eandem licentiam sane sibi sumpserunt Plautus et obscurus ille Paeonianus, Tiberii aequalis, teste Muellero.[4]) Praeterea

---

[1]) Conf. E. Reuter, De Avieni hexametrorum re metrica, Bonnae a. 1909 p. 11.

[2]) Conf. L. Müller l. l. p. 167 sq.

[3]) Conf. Fr. O. Stange, De re metrica Martiani Capellae, Lips. a. 1882 p. 21.

[4]) De re metrica² p. 330.

autem hic usus elidendi non invenitur nisi apud poetas serioris aetatis, apud Prudent. hamart. 286:

vellere non ovium, sed eoo ex orbe petitis,

apud Paul. Nol. carm. XXIV 455:

speculumque metris et fidei instar tuae,

apud Avien.[1]) or. mar. 344:

Erythia ab arce. qua diei occasus sit.

De nonnullis metris.

Atque haec quidem de elisione. Nunc ad aliam rem nos vertamus. Invenimus in Terentiani libris nonnulla metra, quae scriptor adhibuit aut continuavit, quae non nisi apud scriptores inferioris latinitatis exstant.

1. dimeter dactylicus catalecticus sive adonius.

Terentianus hoc metrum continuavit;[2]) neque vero antea quisquam his versibus unum carmen integrum composuit,[3]) si omittimus Sapphum,[4]) Graecam poetriam, quam versu adonio *κατὰ στίχον* usam esse Terentianus dicit.[5]) Postea vero hoc metro usi sunt Optat. Porf. c. 22 vv. XI—XIV p. 64 Mue.; Mart. Cap. 2, 125;[6]) Boeth. de cons. phil. I carm. 7; Ennod. 1, 7, 69—80.

2. archilochius maior.

Terentianus metrum hoc continuavit in vv. 2920—2923, ubi de metris Horatianis separatim verba facit. Praeter eum hunc versum continue posuerunt Prudentius perist. 13; Theodorides Anth. Pal. 13,8; Boeth. de cons. phil. V carm. 5.[7])

---

[1]) De vocalium productarum elisione apud Avienum conf. E. Reuter, De Avieni hexametrorum re metrica p. 46 sqq.

[2]) in vv. 2161—2176.

[3]) Conf. L. Müller l. c. p. 104; W. Christ, Metrik der Griechen und Römer[2] p. 151.

[4]) Conf. Joh. K. Wagner, quaestiones neotericae imprimis ad Ausonium pertinentes, Lips. a. 1907 p. 19 sq.

[5]) v. 2159 sq. *continuasse pedes istos in carmine solos*
dicitur haec eadem praeclara poetria Sappho.

[6]) Conf. Albr. Sundermeyer, De re metrica et rhythmica Martiani Capellae, Marpurgi a. 1910 p. 36.

[7]) Conf. Joh. K. Wagner l. l. p. 25.

3. hendecasyllabus: — — — ⏑ ⏑ — — ⏑ ⏑ — ⏓.

Qui versus hendecasyllabus mirum in modum formatus est; constat enim ex hexametri pedibus primis duobus cum semipede et ultimis duobus. Invenitur autem in vv. 1945—1956. Praeter Terentianum hunc versum, qui re vera est trimeter ionicus a minore[1] — –́ — | ⏑ ⏑ –́ ‖ — | ⏑ ⏑ –́ ⏓, adhibuerunt Martianus Capella 9, 915 sqq. et Boethius de cons. phil. I carm. 2. Ausonius 393, 88 sqq. (248 P) versum hendecasyllabum commemoravit.

Quae cum ita sint, Terentianum etiam hac in re magis ad tertium quam ad alterum saeculum quadrare contendo.

Conclusio.

Haec fere sunt, quae proferre volui per capita septem digesta. Ostendisse autem mihi videor Terentiano Mauro multa communia esse cum scriptoribus saeculorum p. Chr. n. tertii et quarti atque non pauca indicia eaque gravissima in opere exstare, quae posterioris aetatis propria sunt neque saeculo secundo omnino inveniuntur. Singulis quae attuli argumentis confisus si Terentianum Maurum equidem sub finem saeculi tertii floruisse et aequalem Diocletiani fuisse iudicabo, in temeritatis crimen non incurram, praesertim si respexeris quam magna etiam in artificiosa collocatione verborum similitudo intercedat inter Terentianum et Arnobium (supra p. 16).[2]

---

[1]) Conf. Wagner l. l. p. 28.

[2]) Conf. de hac re Werth, De Ter. metr. et eloc. p. 34 sqq. et Prosp. Spindler, De Arnobii genere dicendi, Straßb. 1901 p. 61 sqq.

Typis expressit Robertus Noske Bornensis.

Vita.

Natus sum Henricus Ries in vico Hasso-Nassoviae, cui nomen est Wabern, pridie Kal. Mart. a. MDCCCLXXXVIII, patre Henrico, matre Christiana e gente Krommes, quos ambos inter vivos esse valde gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae; civis Borussus sum.

Litterarum elementis in ludo Cassellae, postquam eo parentes transmigrarunt, imbutus autumno anni MDCCCXCVII adii gymnasium regium cui nomen est Wilhelmsgymnasium, quod tum sub auspiciis Christiani Muff florebat. Maturitatis testimonium autumno anni MCMVII adeptus Jenam profectus sum, ut studiis antiquarum et historicarum litterarum me dederem. Bis sex mensibus post Berolinum me contuli, ubi per unum semestre universitatis civis fui. Denique almam matrem adii Philippinam ad perficienda studia, quibus per hos continuos annos operam dedi. Hic examen rigorosum superavi die VII mensis Februarii a. XII h. s.; abinde ad diem promotionis ex parte Cassellae, ex parte Marpurgi versatus sum.

Docuerunt me viri doctissimi Jenenses: Cartellieri, Delbrück, Diehl, Eucken, Goetz, Graef, Harms, Hirzel, Liebenam, Mentz, Schrader, Stoy, Thümmel, Weinel, Wilhelm; Berolinenses: Bornhak, Dessau, Helm, Hirschfeld, Mewaldt, Norden, Wentzel, de Wilamowitz-Möllendorf; Marpurgenses: Birt, Brackmann, Busch, Cohen, Geldner, Jacobsohn, Kalbfleisch, Klebs, Maaß, Natorp, Schwarz, de Sybel, Thiele, Vogt.

Ad proseminarii philologi exercitationes me admiserunt Diehl, Goetz (Jenae), Thiele (Marpurgi). Seminarii philologi ut per quattuor semestria sodalis odinarius essem, humanitate effectum est Birtii, Maassii, Kalbfleischii directorum. Exercitationibus historicis ut interessem, permiserunt Brackmann, Busch, Dessau per unum semestre, Klebs per quattuor semestria; ad seminarium philosophicum me admisit Natorp per unum semestre. Denique per sex menses interfui exercitationibus grammaticis quas habuit Jacobsohn.

Quibus omnibus praeceptoribus maximas ago gratias; gratissimum autem animum me servaturum esse confirmo Theodoro Birt, qui ad hoc opusculum conscribendum me invitaverit neque umquam in elaborando me versantem opera et consilio adiuvare destiterit.

Vita.

Natus sum Henricus [illegible] in villa [illegible], qui [illegible] est [illegible], patre [illegible] a. MDCCCLXXIII, patre [illegible], matre Christina e gente Kronauer, quos ambos inter [illegible] esse valde gaudeo. Fidei addictus [illegible] evangelicae; civis [illegible] sum.

Litterarum elementis in loco [illegible], postquam eo parentes [illegible] autumno anni MDCCCLXXXVII adii gymnasium regium, cui nomen est [illegible] gymnasium, quod tum sub [illegible] Hoffferbert, Matritatis testimonio instructus autumno [illegible] XCVII adeptus [illegible] professus sum, in studiis antiquarum [illegible] litterarum me dedi [illegible]. Per sex annos et [illegible] post [illegible] per unum semestre universitatis [illegible]. [illegible] ad perfi[illegible] studia, quibus per hoc tempus [illegible] die VII mensis Februarii a. MII [illegible] ex parte [illegible] ex [illegible] versatus sum.

Docuerunt me viri doctissimi: [illegible] Carlebach, Dell[illegible], Diehl, [illegible], Goetz, Gruel, Hahn, Hirsch, [illegible], [illegible], Nay, [illegible], Wilhelm; Berol[illegible], [illegible], Busch, Helm, Hirschfeld, [illegible], Norden, [illegible] Wilamowitz-Moellendorf; [illegible]: [illegible], [illegible], [illegible], [illegible], Kalbfleisch, [illegible], Maass, [illegible], Thiele, Volk.

[illegible] philologi [illegible] Diels, [illegible] seminarii [illegible] per [illegible] sodalis [illegible] Diels, [illegible] per [illegible] seminarii [illegible] Norden, per [illegible] semestre [illegible] quos [illegible].

Quibus [illegible] maximas [illegible] gratias [illegible] autem [illegible] esse [illegible] quibus [illegible] summa [illegible] in [illegible] meis [illegible] debeo.